

# Progetto Manuzio



**Leon Battista Alberti**

**Apologhi ed elogi**



[www.liberliber.it](http://www.liberliber.it)

Questo e-book è stato realizzato anche grazie al sostegno di:

## E-text

Editoria, Web design, Multimedia

<http://www.e-text.it/>

QUESTO E-BOOK:

TITOLO: Apologhi ed elogi

AUTORE: Alberti, Leon Battista

TRADUZIONE E NOTE:

NOTE: Si ringrazia la Casa Editrice Costa & Nolan  
per aver consentito l'uso della traduzione  
italiana di Rosario Contarino

Contiene: Apologi centum  
Liber Intercenaliū Decimus  
Canis  
Musca

DIRITTI D'AUTORE: sì (per la traduzione)

LICENZA: questo testo è distribuito con la licenza  
specificata al seguente indirizzo Internet:  
<http://www.liberliber.it/biblioteca/licenze/>

TRATTO DA: Apologhi ed elogi  
di Leon Battista Alberti  
A cura di Rosario Contarino  
Presentazione di Luigi Malerba  
Edizioni Costa & Nolan 1984  
COLLANA: Testi della cultura  
italiana

CODICE ISBN: 88-7648-021-8

1a EDIZIONE ELETTRONICA DEL: 27 gennaio 1999

INDICE DI AFFIDABILITÀ: 1

0: affidabilità bassa  
1: affidabilità media  
2: affidabilità buona  
3: affidabilità ottima

ALLA EDIZIONE ELETTRONICA HANNO CONTRIBUITO:  
Catia Righi, [catia.righi@risorsei.it](mailto:catia.righi@risorsei.it)

REVISIONE:  
Catia Righi, [catia.righi@risorsei.it](mailto:catia.righi@risorsei.it)

Informazioni sul "progetto Manuzio"

Il "progetto Manuzio" è una iniziativa dell'associazione culturale Liber Liber. Aperto a chiunque voglia collaborare, si pone come scopo la pubblicazione e la diffusione gratuita di opere letterarie in formato elettronico. Ulteriori informazioni sono disponibili sul sito Internet: <http://www.liberliber.it/>

Aiuta anche tu il "progetto Manuzio"

Se questo "libro elettronico" è stato di tuo gradimento, o se condividi le finalità del "progetto Manuzio", invia una donazione a Liber Liber. Il tuo sostegno ci aiuterà a far crescere ulteriormente la nostra biblioteca. Qui le istruzioni: <http://www.liberliber.it/sostieni/>

***Leonis Baptistae Alberti***  
***Apologi Centum***

Leo Baptista Albertus Francisco Mariscalco. S.p.d.

Si quis tibi dono dederit poma centum praecoqua, ea tu animo accipies ingrato? Qui item rosas centum selectas et odoratas dederit, tametsi rosae multae unde vis tibi suppeditent, munus id ne tibi erit ingratum? Ego tibi apologos centum mitto, non eos quidem eiusmodi, ut ex aliqua apologorum multitudine optimos esse delectos dicas, sed tales ut eos, veluti novos et praematueros ex nostris hortis litterariis fructus, apud te fore acceptos non desperem. Qui, si fortassis tibi subobscuriores aliquo in loco videbuntur, dabis veniam huic nostrae, cui vehementer studuimus, brevitati. Siquidem, ut aiunt, ferme nusquam in dicendo fuit brevitatis non obscura, et apologos quam brevissimos esse oportere censui, sed quom ita perbreves sint, ut, si eos iterum atque iterum relegas, non multum taedii afferent; peto abs te non dedigneris paulo adhibito studio eos velle cognoscere, qui quidem cogniti, ut arbitror, delectabunt. Vale.

Leo Baptista Albertus Aesopo scriptori vetustissimo. S.p.d.

Quom latinos tuum ingenium in conscribendis fabulis maiorem in modum admirari atque merito divinum praedicare intelligerem, ego qui hos centum apologos, iuro tibi per sanctissimum nomen posteritatis, paucis admodum diebus edidissem, tuum, quid de re censeas, iudicium intelligere vehementer optabam. Quaeso dic quid sentias. Vale.

Aesopus Leoni Baptistae Alberto. S.p.d.

Qui dixerit apud Italos non esse ingenia, quantum videre licet, fallitur; fateor tamen eam ingenii gloriam paucis mortalibus obtigisse. Te vero, etsi ridiculus sis, non iniuria diligerent, sed invidi sunt. Vale.

## Leonis Baptistae Alberti Apologi Centum.

I Aegre ferebat pila caedi alapis pervolvique luto et nullo posse loco consistere; incundi contra subsidere continue ictibus acerbum erat. Cum homine iccirco egere ut, posteaquam esset eiusmodi rebus veluti deus qui varias posset elargiri formas, incudem in pilam pilamque in incudem verteret. "Hae res - inquit homo - vobis non conveniunt. Sed, si iuvat, ex incude ligones, rastros, atque bidentes efficiam". "Malo - inquit illa - pristinam amplitudinem et gravitatem servare ac tibi quidem pilae consulo, malis pervolando atque persiliendo homines in ludo et admiratione tui detinere".

II Lili flos, perterritus et pallens, dum propinquus fons ad se esset derivatus, pristinam suam gravitatem ad omnes tumidiore undas, quom ad se adplicuissent, consalutandas converterat, quoad undarum appulsu procidit. Servasset ille quidem salutem si non dignitatem abiecisset.

III Saliunca herba medio in torrente constituta, omnes vel levissimas, quae undis perlaberentur, paleas ad se detinere percupida erat; palearum acervo coacto obruta est.

IV Stella superba extra ordinem admirationem sui praebere desiderans, in medio itinere quom deorsum a caeteris delaberetur extincta est.

V Canis cum tauro dimicaturus victoriam sperabat, quod adversario dentes superiores deessent. At cornibus tauri saucius, "non istaec - inquit - putassem".

VI Bos cornupeta, dum sibi cornua exsecarentur, huiusmodi convicia in eam cui alligata arborem coniciebat: "Ego te supinam per vicos traham"; cui arbos: "At interim secabere", respondit.

VII Officina admirata petierat unde tantum folles spiritum possent effundere. Respondere: "Suppeditat quidem unde rapiamus".

VIII Tineam, quod rostro crepitem asserem corrodendo ederet, se ex ciconiarum genere esse gloriantem muscula irridebat seque, quod aethere pervolaret, Phaethontis filiam praedicabat.

IX Ursus, quom fruticis ramos diffregisset, trunco dicenti: "Ergo qui escam praebuimus, hanc abs te beneficii gratiam suscepimus, et quidnam in reliquum annum tibi nobiscum erit ut agas?", respondit: "Ut dilacerem atque radicitus convellam".

X Invidus a se primo inventum sinu suo contegendo ignem, omnes latere optabat; at ignis, ustis vestibus, in medium excidit.

XI Lumbricus a centipede quaesierat uti duos sibi elargiretur pedes. "Tu - inquit ille - ex duobus, quae habes, unum mihi caput dato".

XII Ambitiosus aegre ferens quod imago sua se ex speculo non salutasset, primo perturbari iracundia coeperat, dehinc despiciere, quomque aequae simulacrum responderet, illisit atque fregit. Postque haec indoluit, se ex uno plures effecisse irrisores.

XIII Naufragus Oceano, veluti raptori, diem dixerat atque convicerat. "Veni - inquit Oceanus - non enim impediam quominus tua, ut voles, recuperes".

XIV Castanea quom, suspirio maximo edito, ex igne in mediam aulam prosilisset: "Non poteram - inquit - tantos animi aestus diutius perferre".

XV Multitudo remorum a temone graviter dissidebant atque illum, quod esset solus et pusillus, contemnebant. Temo ea re navim ad scopulum ita direxit ut, altero a latere, omnes qui ibi aderant remi abstergerentur atque dissiparentur.

XVI Sol ex calice vitreo pleno aqua irim in ara pinxerat: id sibi opus aqua ad gloriam adscribebat. Calix contra: "Ni perlucidus essem atque nitidissimus - inquit - non extaret". Haec audiens ara secum ipsa tacita, gloriam sibi illam inherere plurimam gaudebat.

XVII Urna quae, dum plena fuerat, peroccluso et conticenti ore steterat, nunc vacua reddita, ore apertissimo, omnes ad se adeuntes increpabat.

XVIII Fistula pulveribus obruta: "Nos - inquit - poetae saturi non canimus".

XIX Liber, in quo omnis ars libraria esset perscripta, opem petebat ne a sorice abroderetur. Irrisit sores.

XX Canis venaticus catena obligatus, quom videret alios canes inutiles solutos vagari et ludere: "Itane - inquit - esse inertes praestat?".

XXI Candelabra aurea et pretiosissimis gemmis ornata demirabantur quidnam esset quod simulacrum ligneum putridum atque in eam diem invisum, modo prae se adoraretur. Respondit simulacrum: "Personam dei gerimus".

XXII Imperator sagittam, qua rex hostium ictus ceciderat, quam honorificentissime in templo collocarat. Ingemuit arcus quod, qui facinoris maxima fuisset causa, inglorius praeteriretur.

XXIII Vermis nucem in qua esset ortus corrodebat. "O igitur ingrata atque impie! - dixit nux - mihine, quae te ut esses effeci, non desinis pestem inferre?". Respondit vermis: "Si genuisti ut inedia peream, iniuria est".

XXIV Apud virgines vestales oleum querebatur, quod sibi numquam ab igne, quem tot annos summa sua cum calamitate nutrierat, gratiae dictae fuerint. Respondit ignis: "Sit praemium tibi, quod in templo, potiusquam in taberna, pereas".

XXV Claudus quidam pedem sibi, ut aequius pergeret, ex ea parte, qua esset praelongus, abscidi passus est. Quo abscisso, resupinus plorabat se ad pergendum omnino invalidum esse redditum.

XXVI Umbra hominis, ut esset maior, solis occasum optabat. Eadem, quom sibi una cum sole ipso pereundum esse intelligeret, solem in altissimo caeli gradu videri frustra desiderabat.

XXVII Quom spinosum asperum et intractabilem asparagum rusticus intueretur, quem mitem et tenerum, adolescentem vidisset atque admiraretur: "Nimirum - inquit asparagus - maioribus meis persimilis evasi".

XXVIII Fuligo et cinis, fumo abeunte: "Heus frater - dicebant - nos relinques miseras!". His dixit fumus: "Quid mihi vobiscum negotii est? Vos tardae inertes atque inter vos minime convenientes torpescitis; ego coelum peto".

XXIX Samium vas proiectum ex pavimento abacos aureos atque argenteos respectans: "At - inquit - vester nonnumquam fui consocius!". Respondere: "Quidni et eris quidem, si rhodium aut falernum

vinum attuleris".

XXX Cyprestes, horologii inventor, quom in rota nimium quemdam dentem castigaret atque rogaret, quid ita contumax inhaesisset totiusque operis cursum detinuisset, respondit: "Ne iners pondus perpendiculi tantarum sibi rerum gloriam vindicaret".

XXXI Quom argonauta, salvis rebus, maximo cum lucro in portum redisset, Neptuno, percommode habita navigatione, insigne aliquid dedicare constituerat. Ea re hinc malus navis, hinc anchorae, illinc rudentes, ut se eo pacto honestaret, petebant: "At - inquit argonauta - temonem exponere expedit, quod minoris constet".

XXXII Simulacrum Zeusis dicebat emptori: "Optimus me pictor genuit". "Equidem creta - inquit emptor - non te luto delibutum emam".

XXXIII Linteum a manu rogatum quid esset cur, quod modo vel paululum contactum lacrimas immodicas effundebat, nunc tam acriter intortum atque percussum nullas emitteret lacrimas, respondit: "Preabundabam umore".

XXXIV Corylus ab olea rogatus quandone esset fructus editurus qui bruma floresceret, respondit: "Quom dabitur tempus".

XXXV Agaso: "Quidnam - inquit -, asine, non aequae asinos alios atque homines impetis?". "Non illi quidem caederent", respondit.

XXXVI Rogarat tuba a deo Echo: "Quom semper fueris procax quid non iam tonitruum respondes?". Dixit deus Echo: "Iovi irato silendum est".

XXXVII Fungus: "Heus - dixit - o iunipere, audio multos te iam soles vidisse et usque acerbas baccas habes. Quandone igitur maturescent?". "O dulcissime - inquit iuniperus - tardus sum, iccirco post quadrimum responsum dabo".

XXXVIII Urtica ad papaver huiusmodi habuit verba: "Quidnam est quam ob rem, omni reliquo horto virenti ac laetissimo, solus ipse honestissimo in loco constitutus, insigni corona et balteo donatus, ita metu subpalleas et moerore languescas? Mihi quidem istaec vita ignobili et exosae atque vix inter rudera relictae condecet". "O me - inquit - miserum - papaver -, quod mihi intima sunt vobis ignota discrimina! Tu quod intractabilis sis atque omnes mordere didiceris, facile tibi vivis ac ipsam te omni ab imbre sustentas; ego vero, quid ad obsequium pronus facile in quamvis partem pendere didici, vel ad eam amplitudinem deveni, ut omnis mihi vel levissima aura praecipitium minitetur".

XXXIX Virgo, quom sorbam morderet, rogavit quam de causa id ita ageret ut, cum aspectu dulcissima esset, gustu tam fuisset aspera; nunc autem, quom aspectu tam esset indecora, tam esset tamen dulcis reddita. Respondit: "Et quid tu utrumne venustatem cum maturitate congruere facile aestimas?".

XL Mercator, quom per hiemem domum redisset, ex rosetis, quae vere novo tantam spem prae se multorum et optimorum fructuum florendo praebuerant, stuppeas et inutiles bacas excipiens ingemuit, ac demirans tanta ex florum suavitate insuavissimos fructus extare, rogavit quare id ita accidisset. Responderunt roseta: "Omnis in florum gloria divitias consumpsimus".

XLI In corona Hadriani adamas et carbunculus, omnium pretiosissimi lapides, apud unionem

constitui recusarunt, quod illius amplitudo sibi esset dignitatis speciem detractura. Data iccirco potestate ut quo vellent in coronae gradu residerent, inter minores atque viliores, tota corona lustrata, requieverunt.

XLII Canis helluus ferventis offas vorarat, ob eam rem effectus rabidus aquas mordebat. "Si mecum certas - dixit aqua - defatigabere".

XLIII Negavit sal easdem cum glacie sedes velle inhabitare, tametsi eadem essent matre orti; neque enim se commissurum dixit, ut illius inconstantia et mollities pestem sibi afferre ullam posset.

XVIV Vulpes dum a laqueo, qui se impeditam et artissime obligatam detinebat, summis precibus frustra orasset uti se solutam et missam faceret, tandem sibi id, re integra, licere negantem laqueum dentibus rupit. "O me - inquit laqueus - infelicem, qui, animi mei flexibilitate adductus, ita orari me passus sum, ut et durum et iniustum esse me mihi necessitas fuerit. Itaque obsequii nostri praemium interitus est".

XLV Cornix in dorso cuiusdam porci unguibus assistens atque omnes circum arbores respectans: "Quonam praedam hanc differam?" vociferabat. Huic dixit quercus: "Ad me si lubet, nam fide optima servabo". "Recte sane - inquit illa - verum autem meditabar quinam possem pondus hoc immane viribus meis tollere". "Istud - inquit porcus - alibi consilium cape", atque, excussa ave, irrisit.

XLVI Stolidus a succino lapide quaesierat unde in eam vermibus aditum habuisset. "At tu - inquit gemma - quam in te habes stultitiam illam unde accepisti?"

XLVII Puer argenteum Mercuriolum et octo viri ligneum Priapum una per pontem quemdam deferebant; quo, dum illi pertransirent, perfracto, Mercurius profundum fluvii petiit, Priapus autem ex aquis extabat. "An non igitur - inquit sacerdos - hoc incredibile visu est ut, qui tam erat in terris gravis deus, idem iam sit in aqua levissimus?". Respondit fluvius: "An tu homo in affluentibus atque, ut ita loquar, in arida fortuna eundem te futurum putas?"

XLVIII Rotae currus Neptuni caerulos illos pulcherrimos equos amare perditae occiperant atque ideo: "Quo fugitis vehementer sectando?" acclamabant. "Non - inquiunt illi - fugimus, sed vos trahimus".

XLIX Puella a sulphure quaesierat quidnam esset rei, cur tanta esset sibi cum igne amicitia, qui quidem sulphuris calamitate exultet. "Cave - inquit ignis - respondeas, ni puella haec prius edixerit quidnam causae sit quod, qui illam perditae amet, is tam inhumaniter atque impie tractetur".

L Stuppae, prius neglectae, dum magnopere fatisciente navi percunctarentur, vindictae gratia latitabant atque inter se dictitabant indignum esse, quom tantam navigio opem et salutem afferent, ignobiles tamen atque reiectae semper, praeterquam in necessitatibus, haberentur. At inter illas quae prudentior aderat: "Ni succurrimus - inquit - una tota cum navi perimus".

LI Capra, tonstrinam tabernam ingressa, gallo, ut barbam tondi sineret, persuadebat. "In tua hoc - inquit gallus - tondenda barba, quod sine periculo fiet, exerceto".

LII "Tam ampli - inquit anser - pedes nobis, ut levissimum caput sustentent, adsunt". Tum pedes dixere: "An tu ignoras, nusquam esse firmitudinem pedum optandam magis quam ubi levitas capitis adsit?"

LIII Exposcente orichalco ut auri loco haberetur: "An tu - inquit argentarius - hanc vim ignis perfers quam saepius aurum subiit!". "Non tanti apud me est - inquit orichalcum - esse in pretio".

LIV Puer, quom radios solis amplexibusprehendere nequisset, obcludere inter volas manus eos elaborabat. Inquit umbra: "Desine inepte, nam res divinae carcere mortali nusquam detinentur".

LV Caespitibus duobus undas rivuli rogantibus quonam ita propere proficiscerentur, responderunt undae ea se loca petere, ubi sint futurae maximae et sapientissimae. Alter igitur ex his, qui cupiditate illius gloriae incensi caespites sese inter undas dederant, interpellatus a salebris rivuli, quom primum intellexit impedimenta omnia sibi esse dimittenda, haesit loco; alter vero, nudatis radicibus, undas comitatus est, multis acceptis incommodis, tandem pingui in solo relictus in grandem et celebrem insulam excrevit.

LVI "O perfide - inquit venator - qui tantam huic dudum misericordiam, canes demirans, et commiserationem toto aethere gestiebas, nunc tam repente mactatae predae eiecta viscera diripuisti". "Equidem id - inquit milvus - ita agebam, ut illa sese fidei meae crederet et inter unguis meas advolare auderet".

LVII Simia carbonem tractans: "O te - inquit - miserum quem messes ex nemore lucidissimum, uti audio, pertimuere, ut nunc es ater atque torpens!". "Quin immo - inquit carbo - iam sum felix, nam illa ignis pestis consumpsisset me ni abiecissem".

LVIII Philosophus, panem in medio furno ad firmitatem ac vigorem ipsum se corroborantem, et ad furni os ovum, desudans atque amictus sibi suos delacerans, intuens inquit: "En quanti interest inter negotia vitam quam in otio ducas! Hic nihil umquam laboris perpessus ad exiguum calorem sudat atque dirumpitur, ille autem a teneris annis agitatus et fortunae ictibus exercitatus in otio numquam frigit; tandem, in medio aestu rerum, decorem et amplitudinem nanciscitur".

LIX Ad ficulneam per hiemem nudam, obsitam nive et frigore nimium pallentem, dixit olea vicina: "Nonne commonefeci hoc tibi incommodum non defuturum, qui per aestatem tam luxuriosa veste gloriabaris? Disce igitur ex me parsimoniam".

LX "Volebam quidem apud vos divertere - inquit papilio - sed dicite, quidnam periculi imminet, quod vos video trementes?". Dixere rogata arundinum folia: "Tu proinde cogita ut recte nobiscum agi posse speremus, quandoquidem haec, quam colimus, quom vacua sensus est, tum in omnem partem ad casum nutat".

LXI Vota ad simulacrum vetus posita querebantur quod, quom essent causa ut prae aliis adoretur, tamen se, antiquissimis amicis spretis, ad nova semper vota advenientia penderet. Respondit simulacrum: "Mea vobis amicitia si taedio est, abite ut lubet". Vota indignata se praecipitarunt atque solo illisa in frustra periere.

LXII Iaculum in fontem ceciderat capiteque in profundum versus dependebat. Dixere nymphae; "Ut mirum est, ob parvulum comae aeris pondus huic pedem tam esse levissimum!".

LXIII Decurio ex vexillo rogarat quid ita ageret ut, cum in hostem iretur, metu ipsum refugeret, quom autem pedem miles retraheret, ilico hostibus applauderet. "Falleris - inquit vexillum - non enim meticulosus aut proditor sum, sed victorum partibus delector".

LXIV Catella delicata quae, nisi decies prius olfecisset ore nihil capere consueverat, quom alii canes ossa ilico omnia, ut ceciderant, interceptissent, fame acta atrum et siccum panem ipso in aere, dum



iactaretur excipere didicit.

LXV Scintilla, quae agilis atque perlucida esset, stellam se futuram arbitratur, at defecit.

LXVI Navis, quom obeliscus maximus Romam esset advectus, quod audisset carinas Aeneae, ut primum solvissent a portu, deas maris fuisse effectas, ea spe in altum sese perditum excessit.

LXVII Quom pater familias in prato quodam asinum, agnam, capram, porcum atque equum promiscue depasci intueretur atque eodem in prato geminos tauros amatores inter se adversis cornibus accurrere: "Mirum - inquit - hoc ut hi consanguinei inter se atrociter pugnant, illi diversarum linguarum et morum tanta inter se coniunctione vivunt!". Respondere Fauni dii: "An tu non meministi quod in primis fertur amicitiam a coitu inter mortales atque inimicitiam extare, atque ob escam?".

LXVIII Praxiteles quom a Veneris statua, quae indecenter intuebatur, iterum atque iterum suasionibus, cohortationibus, precibus atque denique conviciis et comminationibus frustra petisset ut oculorum vitium emendaret, ferro tandem id ipsum tollendum censuit.

LXIX Argentariam tabernam corvus loquax inhabitabat eamque ob rem corvi illaec taberna dicebatur. Rusticus quidam subcallidus, quom multa corvo munuscula esculenta dedisset, petiit ex eo pro inita amicitia uti aliquid in filiae suae dotem conferret. "Necessitati - inquit - tuae - corvus - perlibenter obsequer, sed rerum omnium quae in taberna sunt nihil, praeter nomen, est meum".

LXX Culex cum coclea dimicaturus, quod pugionem suum in illius durissimo thorace esset expertus quodque bina tela praeferre illam audisset, pertimescebat ne ad pugnam prodiret. At coclea istius boantem vocem audiens sese castris continebat. Risere satyri.

LXXI Amans summopere desiderabat atque multis precibus exposcebat, ut aliquis ex ramusculis lauri qui postes templi ornabant sibi pro corona adesset. Negarunt illi se dignos esse qui mortalibus gratificarentur; postridie vero, quom in manipulum redacti verrendo pavimento dehonestarentur, poenituit illiberalitatis hesternae.

LXXII Quom leonis in insidiis post arborem delitescens summam caudam vulpes vidisset, etsi illum esse bovem suspicaretur, tamen evolavit fugiens atque inquit: "Malo amici irrideant levitatem quam deplorent calamitatem".

LXXIII Dixerat philomela strepenti merulae: "Aut tace aut concinnum aliquid cane". Respondit illa: "Deliras tu quidem, quae nihil nisi ex intima arte depromptum effers; namque sic vivitur hac aetate, ut non qui didicerint, sed qui didicisse videantur periti in primis habeantur".

LXXIV Pavo moriens, testamento edito, caudam ad conum galeae militi cuidam legavit; tantum gemmarum pulli sibi non esse relictum deplorabant. Dixit pater: "Siquidem mei estis filii, huiusmodi vobis non deerunt".

LXXV Quidam a rege, inspecto stemmate picto, quod esset regium, uti munificentia petiit uti vestem illam auream, qua esset indutus, mutuo concederet. "Hanc si detraxeris vestem - inquit pictura - iam nullus sum".

LXXVI Arcus a chorda petebat ne alter alteri esset molestus, ut aut fieret longior, aut obrumperetur. Haec contra ex illo petebat ut aut fieret brevior, aut perfringeretur. Tandem, cum utrisque conditio dura videatur, dixit chorda: "Igitur tu viribus, ego nervis ius tuebimur".

LXXVII Arbos quom per eum annum poma non tulisset, a villico ne se, uti instituerat, caederet, multis in futurum annum pollicitis muneribus, impetravit. Dehinc secum ipsa: "En - inquit - quam intersit nos consuetudinem liberalitatis inisse ut, non sine periculo maximo, negare liceat!".

LXXVIII Villicus in bovem contumacem: "Ego te hoc latericio lapide percutiam", inquit. Bos qui eum ex tellure quam mollem iam quom versabat esse meminisset, modice laesurum arbitrabatur, denique percussus sensit ut esset igne perdurus redditus.

LXXIX Fucus in regem apium huiusmodi convicia disseminabat: "Ille ignavus in deliciis marcescit, ego visendis regionibus et commentandis rationibus diem consumo, tamen illi otioso servire malunt". Respondere apes: "Tu quidem per egestatem industrius videris, cum in otio supinus tamen et in regno intemperans esses, noster vero rex suis consulendo mavult domi bonus esse, quam foris gloriosus videri".

LXXX Vulcanus Plauti poetae comici amico cornui, quo erat conclusus: "Tu meum splendorem offuscas" dixit. Respondit cornu: "Te quidem, cum a ventorum impetu et vitae periculo conservem, meminisse oportet, quod aiunt, incommodum sine incommodo vitari non posse".

LXXXI Cuniculus animal: "Heus tu - inquit - o lepus, semperne nihil agendo et dormitando, id ages ut speculari videaris?". "At tu - inquit lepus - semperne laborando nihil ages?". "Uterque igitur - inquit ille - dum minime otiosi videri cupimus, nostra fruamur natura. Tibi quidem quod ipse ago et mihi tu quod agis, agere durissimum esset".

LXXXII Scopulus, qui minores inter undas sese superbum efferebat, maioribus undis adventantibus ilico delitescebat, rogatus quid ita, respondit: "Stultum est nos maioribus videri pares velle".

LXXXIII Piscis vehementer optabat arborem conscendere eoque desiderio in arbores pictas in fontis superficie prosiliebat, ilico pictae arbores dissipabantur. "An vero tu - inquiunt arbores - istoc pacto insanis, quem etiam fictae arbores fugiant?".

LXXXIV Torrente, qui imbri excreverat, maxima vis lignorumolvebatur, inter quae una arbos, reliquis amplior, quod ad se complura arbusta ita adhaesissent, ut ob id et sistere loco iniquo et omnem impetum excrescentis aquae sola substinere cogeretur: "Quam est - inquit - res molesta amplitudo!". Respondere arbusta: "Tu quidem, quae aureos soles et candidissimas nobis horas complures tua umbra interceptisti, ferre aequo animo debes si, turbatis rebus, paulum in te conquiescimus".

LXXXV Bos in navim onerariam cornibus sursum trahebatur. Hic, dum pedibus solum premeret, vota faciebat ut funis, quo esset alligatus, abrumperetur; quom autem idem in aerem penderet, vota faciebat ne abrumperetur. "En - inquit funis - ut hic ex suo commodo nos et valere et perisse optat?".

LXXXVI Puer testudinem interimere cupiebat atque in parietem illam occidebat. Inquit vetula quaedam: "Fili, si voles, palea occidetur. Nam ubi sese dimoverit, tu palea eius oculos caedito; illa delitescet, eo pacto fame peribit". "Tuum istoc, o vetula, sit officium", inquit puer.

LXXXVII Lutum fetens optarat et magnitudinem colossi et formam Bacchi et pleraque huiusmodi omnia ab homine impetrarat, nusquam tamen fuit in pretio. "Nimirum igitur - inquit - nobis sordes abiciendae sunt".

LXXXVIII Lacus, quom nubes a montibus in aera surgerent atque in caput imminerent, quod illas esse montes crederet, maximo ne in se corruerent metu expalluerat. Denique quom in aquam versae nubes pluissent atque iccirco lacus excrevisset, dixit lacus: "Et quam eram stultus, dum tam maxime, quod profuturum mihi esset, pertimui!"

LXXXIX Faber, fossor cloacarum atque magister pistrini ex transverso fori inter nobiles deambulando irridebantur. Tum istorum unus inquit: "Et quid est quod omnes rident?". Respondit faber: "Quia tinctus es". "At enim - inquit fossor - tincti omnes sumus". "Nempe id quidem est, ut ais, - tum dixit magister pistrini - sed tu et tinctus es et vehementer foetes".

XC Minervae statua in arduo monte positae quom imbecillis quidam, qui non citato sed moderato gradu conscendisset, pedem neque anhelans neque desudans esset exosculatus, a sacerdotibus laudatus est. Feruntque deam dixisse plures ad se claudos et debiles quam valentes adivisse.

XCI Epistulam, quae multa expectatissima attulerat, quod quodam in loco sui esset oblitterata, qui eam receperat ira ob id concitus dilacerarat. "O - inquit epistula - hominum naturam perversam, siquidem pro uno errato multam poenam desumere et pro multis acceptis beneficiis gratias nullas agere consuevere!".

XCII Priapo custodi horti donum petenti respondit pater familias: "Admiror quidem te his, quae suppeditant, divitiis scivisse nusquam perfrui". "At enim - inquit Priapus - vestes et lacernas volebam". "An tu - inquit pater familias - ignoras ut stulti sint, qui dando nihil assequantur nisi ut, cum sibi dispendium fiat, tum accipienti quoque emolumentum afferant nullum?".

XCIII Quom leoni cuidam aditum in coelum patuisse leo quidam intellexisset, cupiditate gloriae flagrans, difficillima omnia rite exequabatur ut leonibus omnibus facile praestaret. "Etenim quid insanis? - inquit invidia -. Qui enim huic generi animantium locus debebatur iam pridem merenti consignatus est". Respondit leo: "Sat erit nobis promeruisse".

XCIV Grillus, rana et huiusmodi animantia quae aut saltitant, aut considunt tantum atque humo iacent, serpentem minime esse ad movendum aptum arbitrabantur. At dum illum velocissime in ardua repere vidissent, admirantes agilitatem: "Proh dii - dixere - itane aliorum mores studia atque ingenium ex nostro sensu et viribus pensitamus!".

XCV Pullus asellus quom in dies una cum aetate floescente tardior et morosior fieret, "quanta de spe - inquit illius pater - decidi! Namque hic quom puer esset, longe puero leone villosior pectorosior atque ad cursum aptior videretur, fore illum omnium quadrupedum principem speravi". "Tu ne mirere o pater - inquit asellus -; nam hoc generi nostro antiquum esse aiunt, ut pulli quidem bonae spei, firmiores autem facti quadrupedum omnium ineptissimi simus".

XCVI Rogatus leo quid ita vehementer, pallio in se coniecto perterrefieret, respondit: "Et quis, monstrum hoc cui neque caput adsit neque pectus, in aethere sublatus intuens non horrescat?".

XCVII Leo ille celeberrimus amicus hominis a servo illo hospite suo Romae per tabernas ductus loro, rogantibus quid ita agere ut, quom in arena cursu pegaseos, saltu pardos, viribus tauros, humanitate homines superasset, quomque inter leones forma et dignitate esset nulli secundus, idem tamen se inservire pateretur, respondit eiusdem esse animi et prodesse amicis et latratores despiciere.

XCVIII Lepus ille apud Martialem poetam celeberrimus, qui in os leonis confugerat, spectans a longe latrantes canes eos, qui acrius essent secuti: "En - inquit - quanti interest nos huic commendatos fore!".

XCIX Theatrum non mediocri admiratione detinebatur leonem spectando, qui modo discum in altum perquam belle iactare, modo immanem orbem marmoreum maximis viribus volvere, modo ovo lepidissime ludere perdoctus esset. "Et quidnam - inquit invidus - levia haec sunt ac videntur quidem diversa, sed ea unum sunt. Nam illorum quodque volubile quippiam est". Respondit leo: "Fateor, o rerum peritissime, istuc esse ut asseris, sed te id nolo fugiat ovum esse hoc fragile quod volvo, mi homo, non pilam".

C In pavonem invidus: "O inepte - dixerat - tunc tibi coronam imposuisti?". Respondit pavo: "Quod torqual tam variis coloribus susceperim nondum etiam perpendisti?". Risere nymphae.

## *Liber Intercenaliū Decimus*

### Prohemium

Micrologus egenus quidam ex Arcadia ad Egyptios gymnosophistas adipiscende virtutis gratia, solus, quod comites nullos invenisset, proficiscebatur. Evenit ut in sylvam incideret opacam et inviam, dumque inter eundem, quibusdam in colligendis cocleis cibi fortassis gratia, commoraretur, Herculem illum, qui deus postea ob virtutem habitus sit, sylva eadem leonem queritantem offenderet. Cuius ex habitu et liniamentis oris Micrologus cepit illum esse non Indum, sed Argivum potius suspicari. Iccirco: "Heus, frater, inquit, hacne itur via ad urbem?". Non ingratis se Hercules ab egeno appellari fratrem tulit, et cuias esset, et quid sibi ea peregrinatione exquireret, humanissime didicit, sylvamque esse illam erroribus plenam admonuit. Iccirco ad solis radios gressus suos omnes dirigeret edixit, siquidem non alio pacto foret futurum ut nisi maxima cum difficultate sylvam posset evadere. Denique homini, quem non graia tantum lingua, verum et ipse virtutis amor commendaret necessitudineque quadam natura duce devinciret, omnem ab se fratris pietatem erga Micrologum et officium deberi professus est.

Et quorsum hec, o studiosi? Amici, queso, adhibete huc animum. Omnes quidem, qui in litteris versamur, ad virtutem, ni fallor, et gloriam studio bonarum artium tendimus; sed non ea omnes sumus fortitudine preediti, ut leonem sectari tuto possimus. Natura enim omnibus pares nequaquam ingenii vires partiri dignata est; qua ex re effectum est ut alios grandia, alios infima, cum deceant, tum delectent. Quid hoc igitur mali est inter nos, quod, cum littere et ad virtutem communia studia nos fraterno quodam sanctissimo vinculo coniunctissimos esse cupiunt, in tanta rerum et artium tenendarum difficultate, ipsi tamen inter nos tanto sumus fastu et insolentia preediti, ut quisque preter se alium nequeat recte velle sapere? Ac nedum pro officio quidem et pietate in studiis litterarum, veluti in maxima sylva vagantes, quoad in nos sit, nostro sine incommodo esse levatos nolumus, sed et eos, qui lumine aliquo laudis et fame perspecto, ad virtutis gloriam sua industria progrediantur, aut extinguendo illorum laudem, aut in sinistram semitam divertendo, interpellamus. Quod si maledicendo tandem exerceri iuvat, omne putabam imperitorum vulgus non modicam neque parum accommodatam esse materiam, in qua in omni obloquendi impunitate et licentia, quasi legitime bello indicto, liceat abuti, siquidem non inter divites et pauperes, non inter potentes atque imbecilles, non inter dominos atque servos, quanta inter doctos atque indoctos inimicitia extat, natura duce. Sed nolo esse prolixior. Tantum vos, o studiosi, si quis vos litterarum et virtutis cultus ad humanitatem ornavit, obtestor ut, quod deus ipse vobis divinum dedit ingenium ad quasvis maximas res petendas et conficiendas, illud velitis non a pietate et officio abhorretere. Nosque enervatiores, qui tardis et crassis ingeniis aptas lucubrationes edimus, oro ne despiciatis. Si vos omnes fratrum loco semper habui, si lesi neminem, profui quam multis, date, queso, una mecum operam ut nostra hec tempora, cum iocosis scriptoribus non vacua, tum eadem posteris non invidie fuisse plena sentiant. Id autem assequemur, si nos inter nos positus obtreccionibus certatim amabimus: hoc agite et este felices.

### Argumenta libri decimi

*Bubo:* Cives aliquos in re publica etsi improbos alendos tamen.

*Nebule:* Neque contra superbos fastu et contumacia contendendum.

*Pervicacia:* Sed temporibus cedendum.

*Templum:* Semper enim fastum et pompam fuisse pestiferam.

*Lacus:* Iccirco ornandi sui gratia res novas in re publica non querendas, sed ferendas patrie priscas consuetudines utcumque ille sint.

*Lupus*: In rebusque agendis fortune facilitate et successibus minime confidendum, quo in quempiam iniuriam inferas.

*Aranea*: Fieri enim interdum ut contra pusillos et abiectos suscepte inimicitie ultimum in discrimen atque exitum quemvis amplissimum et prepotentem adducant.

## Bubo

Cum omnium generum alites, ut de sua re publica in commune consulerent, in montem Olimpum convenisset. Bubo ales rerum antiquarum studiosissimus, quod supercilio et gestu omnique corporis habitu plane philosophus putabatur, cunctis attentissime in eum intuentibus, in medium babuit contionem, mea quidem sententia haud inelegantem, qua quidem, ut eiusdem veluti commentaria recitem, aiebat superis meritas gratias agere se, ubi tantam intueretur multitudinem cupidissimam audiendi ea que pro communi utilitate a se per omnem etatem suam multis essent vigiliis exquisita. Namque se adinvenisse aliquid, quod cum attente audiverint, palam intelligent quonam pacto mutuis beneficiis inter diversas aves perennis amicitia et honestissimum ocium pulcherrime servari possit. Sed esse quidem ad eam rem opus, in primis, lege qua improbi et contumaces coerceantur, probis vero bene vivendi ratio et modus prestetur. Dehinc multa de vi legis percommode disseruit, ac primum illud commune apud eos, qui de hisce rebus disputant, retulit. Orbem terrarum, et que in orbe sunt omnia, quam rectissime ipsa nature lege agi, contraque neque publicum neque privatum inveniri quippiam, quod sine lege possit diutius persistere. Itaque legem prorsus esse necessariam affirmabat. Neque iccirco audiendos si qui fortassis flagitiosi et insolentes contra surgerent, qui quidem quo impunius absque lege vivere affectant, eo legem difficilem et gravem dicunt. Probis profecto legem esse gratissimam.

Post hec quamnam rogaret legem protulit: "Alitibus, quibus falcate ungues et rostrum aduncum est, ut solo ruspere et escam desumere nequeant, cetera aves alimentum prebent". Hic iterum atque iterum obtestabatur ut quantas hec secum lex utilitates afferret diligenter attenderent. Iuravitque per magnos deos a bonis omnibus, quibus cum de lege roganda antequam ad dicendum venerat contulisset, legem eandem mirum in modum approbari. Ac rogavit quisnam esset, qui non plane intelligeret omnibus mortalibus minime parem a natura vim et facultatem esse contributam. Ergo suam cuique non omnino dementi sortem ita ferendam esse, ut continuo meminerit commutatione officiorum necessitati satisfieri oportere. Hic multa de liberalitate disseruit: gigni amicitias liberalitate, excrescere amicitias beneficiis, gratiamque et benivolentiam civium adipisci munificentia, denique natura duce omnibus usque adeo gratos liberales esse, ut a notis atque ignotis diligentur palamque laudibus extollantur. Deinceps disputavit quam maxime impium et prope contra naturam illud omnes deputasse debeant: si cuius rei plane quis abundet, eius tibi indigenti non fecerit copiam. Potentiam quidem et imperia, ab his qui forti et generoso animo prediti sunt, non eandem affectari ut quempiam ledant, sed ut quam multos beneficiis et munificentia sibi adiungant. Regum iccirco munus ita quempiam obsequio iuvare, ut tibi ingentes debeat gratias, quas procul dubio habebunt hi qui vite subsidia a liberalissimis suscipient. Ex qua re firmum et eternum inter eos qui acceperint atque eos qui contulerint beneficia vinculum necessitudinis futurum pollicebatur. Maxime id quidem ubi perspicuum erit, alios perenni liberalitate in dies multorum animos ad integram amicitiam fovendam illicere, alios vero in bene de se merentes prompto et memori animo esse deditissimos. Et sanum inveniri neminem, qui cum intelligat quantum amicitie debeatur, non idem det operam ne cui ingratus videatur. Accedere preterea quod ad virtutem non mediocriter conferat habere paratum quasi emulum, quocum certes officiis et benivolentia, a quove summa tua cum laude gratissimos fructus liceat expectare.

Itaque de commodis legis latissime disseruit, ut nihil locis suis defuerit, quo legem honestam, facilem, utilem ac denique approbandam esse edoceret. Iamque omnis plebea multitudo, maximeque corvi et cornices, palam assentiri ceperant, verum pavo, anates, coturnix et huiusmodi proceres, auro et gemmis nitentes, quod animo essent et fastu tumidiores, egre hanc rem ferre, anatique iccirco,

avium loquacissime, dissuadende legis munus dedere. Ea vero, aliis indicto silentio, a maioribus et his qui virtute et bene merendo claram de se famam posterisque suis ocium et tranquillitatem reliquissent, exordium dicendi fecit, horumque dicta et facta summis laudibus extulit. Tum contra vituperandos esse asseruit eos, qui maiorum optimorum et prudentissimorum disciplinam aspernarentur. Quo quidem in genere arguebat esse eum, qui non contentus moribus et institutis patriis novas et inusitatas vivendi fraudes afferret. Hanc nimirum tritam patere viam seditiosis et captiosis omnibus ad novas et capitales res constituendas, ut, quod armis et vi perficere sibi in animum induxerunt, id legis adminiculo et imperitorum suffragio adoriantur. Quare cavendum quidem esse, per deos immortales, ne, cum ocium assequi putes, libertatem, qua una re dulcissima in rerum natura dulcius et carius inveniri nihil potest, amittas. Deque iure libertatis tuendo quam longam hic orationem habuit. Rogavitque quinam tam acres et vehementes possent reperiri usquam inimici, qui pro tuenda libertate, etiam ipsi infimi et plane humiles plebei, armis et omnibus viribus non obsistendum acclamarent. Iccirco cavendum esse, ne quam rem armatus fortassis et fortissimus hostis palam certans non diminueret, eandem quasi per insidias levissimus et gnavissimus aliquis sua loquacitate eripiat. Denique animadvertendum inquit, quam sit longe a libertate id negotii suscepisse, quod invito tamen tibi per edictum agendum sit. Atque liberis quidem populis leges tantum probandas affirmavit, que suum cuique servent, raptorumque iniurias prohibeant; eas tum demum leges penitus abolendas, si adsint, que liberis tuis rem sudore et periculis parctam, tibi libertatem a diis elargitam, universis vero industriam bene degende vite magistram eripiant. Enim fore profecto neminem quin malit inertem vel egenam quidem vitam ducere, quam ociosis et supinis ingeniis obsequi et subservire. Hocque loco nullas obtulit industrie laudes. Divitias quidem, nervum rerum publicarum, accumulari industria; paucos industrios persepe cuncte multitudini in ultimis casibus opem et salutem attulisse. Bene moratam et bene constitutam rem publicam, non tam industriis summas gratias, quam ociosis capitale odium debere. Quin vero expellendos atque e regione exterminandos omnes ociosos, quo et ipsi penas lese rei publice dedant et ceteris malorum morum labem non immisceant. Post hec egregie disseruit quanta ocio scelera gignantur. Itaque eo pervenit oratio, ut Bubonis legem nullis nisi desidiosis et ignavis, aut improbis et nequissimis, posse placere ostenderet. Qui quidem, quod industria sibi victum suppeditare nequeant, fugiunt, aut quod infinitam animi cupiditatem et fastu pertumidum pectus nequeant pro libidine complere, eam ob rem aliorum innocentum fortunis et calamitate publica sibi ipsis quoquo pacto satisfacere enituntur. Itaque huiusmodi legem maxime perniciosam omnibus probis videri adiuravit. Quod si quis tamen usque adeo vehecors inveniretur, ut sua servitute cuiquam sese gratum quam libertatis cupidum videri mallet, eum sane, quoad ita statueret rerum suarum et obsequii prodigum posse ita esse ut sibi turpem susciperet conditionem, ceteris vero sua impudentia necessitatem serviendi non imponeret. Longumque esset hic referre quantas et quam perniciosas in dies futuras discordias enumeraret, si pro libidine non modo famescentibus, verum etiam plane lascivientibus et omnino supinis copiosam et exuberantem escam non prebuerint: neque defuturos qui graviora et duriora posthac audeant exposcere, ni forte libertatem contra ociosissimos et petulantissimos tueantur. Iam vero hac oratione animos audientium vehementer ad libertatis rationem habendam impulerat; tamen, quod superiori oratione Bubo plurimum eloquentia potuerat, multitudini anceps et ambigua erat animis altercatio. Quam rem ex vultibus obticentis multitudinis conspicientes proceres, certatim singulos alitum ordines obeuntes, quibus quisque poterat argumentis legem dissuadebat atque inter ambulandum his verbis utebantur: Bubonem non obscure delirare, qui quidem ut sese philosophum ostentaret, et aliquid excogitasse videretur, in tanto prestantissimorum cetu unus ad declamandum temere accessisset raucaque voce inanem atque admodum ieunam et insipidam orationem recitasset. Enim preter id quod pallenti vultu et gravibus oculis ad ultimam deformitatem exhibuisset, eum nihil quod philosophantis dici possit attulisse, ac in eius quidem omni reliqua vita rem nullam philosophis persimilem reperiri, nisi quod solitudine dura in desertis theatris tristisque umbra delectetur. Musica quidem, qua unica re perdiscenda integras noctes pervigilet, quave egregie se valere profiteatur, in eadem tamen perdiscenda multo esse, ut videre licet, ineptissimum. Tum orabant ut eius ipsius avis morosos gestus conspicerent ac aspicerent qualem perferret supercilium, ac si omnes ad unum

usque superos atque inferos deos de roganda lege consulisset.

Bubo aures et oculos, ut ea que passim de se dicebantur intelligeret, huc atque illuc versus in partes omnes intendebat, de seque eos haberi sermones tam ridiculos tamque varios admirabatur. Cuius vultus et gestus aves intuentes in tantum cachinnum erecte sunt, ut ad irridendam bestiam circum propius omnes advolarent. Quam rem, ubi aquila, accipiter et huiusmodi alites per ludum agi intellexissent, confestim in unum ad consulendum convenere ac, sententiis rogatis, constituere bello id sibi, quod pace ac lege nequeant, constituendum. Exque eo in hunc usque diem eternam adversus proceres inimicitiam gessere.

Hoc apologo velim id ipsum in urbibus evenire intelligas: ut adsint nonnulli, quos commodius sit obsequio quam capitis periculo alere.

## Pertinacia

Robora humo ab austro proiecta maiorem in modum cannas admirari non desinebant, quod tantam vim furentis venti incolumes et illese substinerent. Tum canne: "Quid spectatis, immanes quercus?" aiunt. "Vestram ob durtiem atque pervicaciam iacetis. Nos quidem humiles adverse fortunae impetus obsequio et patientia frustramur".

## Nebule

Proxima superiori patrum nostrorum etate, Italia, non pro vetere maiorum more ex delectu civium, sed conducto milite et peregrinis armis uti consueverat. Hoc, ni fallor, prudenti consilio, quod mercennaria et ignobilia capita furori armorum obiectare, quam civium periculo et discrimine fortunam belli experiri, commodius ducerent. Fortassis etiam illud cavebant: ne arma latinus miles sumeret, quibus ad patrie perniciem postea abuteretur. Ut evenit quidem. Nam cum hostis assiduus spe victorie et prede cupiditate pacatos et quietos intra Italiam opulentissimos populos vexaret, et ob id iuventus Italie sensim esset armorum studiis excitata, ut est ferox et ad imperandum nata gens itala, repente pene innumerabiles bellorum duces passim tota Italia excrevere, tantis animis prediti et tanta rerum gestarum gloria elati, ut eorum quisque, non iam ad victoriam et triumphos, sed in primis ad regnum spectet, et vicisse parum ducat, ni eos ipsos quos superarit eosdem legibus auspiciisque suis pro arbitrio regat. Hac de re, cum illi imperare et libere civitates homini nemini servire pulcherrimum ducant, et illi pro nanciscendo imperio, isti pro tuenda libertate nihil a se esse pretermissum velint, tanti utrimque tumultus exorti sunt, ut nedum homines, verum etiam superi ipsi in maximam eius rei admirationem verterentur. Iccirco a Iove optimo maximo, cui ocium et tranquillitas mortalium sempiternae fuit cordi, deorum interpres Mercurius demissus est, ut quid tanti ubique per Italiam apparatus belli vellent sciscitaretur. Sumptis talaribus, deus in montem Alpim delapsus constitit eo in loco unde et Galliam et Etruriam spectaret, atque illic talaria ponere et formam dei ceperat exuere, ut intra cetum mortalium sese decentius accommodaret. At extemplo presto sibi affuere Nebule et, corona facta, deum consalutavere perfamiliariter; nam illis Mercurius in rebus agendis plurimum uti consueverat.

"Etenim certe, tum inquit Mercurius, attemperate advenistis; me quidem, ni fallor, labore hoc quo animo suspensus veneram levabitis. Atque vos, queso, que interdum noctuque urbibus superincumbitis, cum facile id potestis novisse, dicite quid rei est quod tantum hinc mortales atque hinc armorum agitent?". Tum Nubes: "Etenim, Mercuri, inquiunt, ut rem tenes, Plutoni filia est puella quedam diis uti opinor ipsis non ignota, cui nomen Ambitio, forma singulari, ut eam ingenui plerique adolescentes iuvenesque patritii non pauci vehementer appetant. Sed cum ea lasciva et petulca est adolescentula, sectatorumque copia in maiorem modum gaudet omnibusque, quoad in se sit, queque de se optent pollicetur - ex quo fit ut, qui amore flagrant, in ea observanda omni opera, cura, studio, diligentiaque advigilent, rivaliumque spes atque expectationes, quoquo pacto id queant,



interpellent atque frustrentur - hinc inter eos simultates, odia rixequae exorte, studisque partium eo res adducta ut, explicato agmimine et instructa acie, contendendum sibi fore instituerint".

Re intellecta Mercurius: "O iccirco pestem mortalium feminam, a qua semper iurgia, discordie, dissidia omnisque publicarum privatarumque rerum calamitas manarit". Atque dum interea sese ut ad Iovem rediret accingeret, num quidnam Nubes de se velint rogavit. Tum Nubes: "Expectato nobis isthuc quidem dixti, Mercuri, nobis, inquit. Nam pro tua in nos benivolentia, ut speramus, iustissimam, piissimam, minimeque difficilem causam pro nobis suscipere non recusabis. Idque ut agas, et precamur et obtestamur. In causa hec sunt. Nosti, Mercuri, quam non penitus simus ignobiles. Nam, seu Tellure seu Iunone matre orbe, patre sine controversia Phebo esse nos procreatas hominem qui ignoret arbitramur fore neminem. Que nostra sit vita pacata et modesta, non est ut tibi rem notissimam impresentiarum referamus. Quid igitur? annon iniuria est, ignes sedem Ethnam regemque Vulcanum habent, aque maximos et multiplices sinus complent lateque Neptuno rege volutantur, venti non speluncis quidem suis Neptunoque rege contenti sunt, quominus toto ethere, mari, montibus ac denique toto orbe terrarum lasciviant? nos autem innocue, in omnique officio constantes, non rege honestamur, non legibus sumus munite; quin immo, rem durissimam, semper extorres et profuge agitamus, ut numquam in loco consistere, numquam in ocio conquiescere liceat. Semperne umbram fovebimus lachrimis? Nos rorem et alimenta seminibus, pomis ut efflorescant atque mitescant congerimus, quibus et victime deorum et mortales homines, delitie superum, pascantur. Venti flores decussant, aque illuvionibus herbescentem agrum prosternunt; ignes adultam segetem populantur. Sed non est ut te prudentissimum, quem ut ad Iovem redeas properare intelligimus, prolixius commonefaciendo detineamus. Unum est quod te iterum oremus, ut hanc apud Iovem salutis dignitatisque nostre causam suscipias, id quidem, si honestam et tua in nos pietate non indignam iudicabis. Ac tibi quidem persuadeas volumus, Mercuri, nobis posse dari optatius abs te nihil quam ut vel maxime te interprete hanc iustam et superis factu facilem gratiam assequamur. Cupimus rege honestari et quasi a longo exilio donari patria, ut aliquando per ocium sanctissime ac religiosissime deos colere possimus. Nullum neque considendi locum neque regem, modo honestum, recusamus. Hoc, Mercuri, si per te, uti speramus, ex sententia impetrarimus, senties profecto et memores et longe gratissimas tuo beneficio iuvasse".

Tum Mercurius: "Cupio quidem, inquit, vobis esse honori et commodo, sed vestrum est consilium videre ne in ea re prestatne Mercurium apud superos Nubium oratorem, quam Iovis consultorem adesse. Quam ob rem ita censeo: legatos vestros ad Iovem mittendos; his ego deorum senatum honorifice cogendum curabo". Placuit iccirco legatos una cum Mercurio ad Iovem proficisci. Quorum oratione et postulatis Iuppiter nonnihil frontem compressisse referunt. Cumque cogitabundus parumper obmutuisset, legatos Nubium ad se missos his responsis fecit; placere diis ut Nubes et rege et regno quoad velint gaudeant. Verum quo ea in re commodius absque ullius offensione Nubium desideriis satisfaciatur, superis aptum et dignissimum regem eligendi curam ordinibus Nubium delegasse. Que cum ita sint, in comitium coeant edicit, ea spe ut persuasum habeant regi renuntiato neque sedes neque honores a diis defuturos.

Itaque totis regionibus apparitores nubecule proceres illas pregrandes barbatas nubes, ut regia comitia fiant, accitum devolant. Eccas iccirco has atque has candidatas, et tota facie corporis meditabundas elatas supercilioque protenso, ac si pre se queque ferat omni mente et cogitatione iam iam sese ad gerendam tyrannidem et ad leges conscribendas impendere. Accedebat quod tanta erant insolentia predite ut, spreto omni consueto iumentorum genere, exquisitis horrendis undique belluis, hydra, hypocentauro, et bellua Lerne et huiusmodi monstris adveherentur. Phebo patri hunc Nebularum fastum et superbiam invisam fuisse affirmant, earumque fastidium non pertulisse, sed faciem avertisse. At Nubes, ut primum iuxta summum coacervate convenere, intolerabili quadam dignitatis et maiestatis ostentatione, voce gravi et reboanti, presse tamen et submisse seu subsurde, mutuo se consalutavere, ac vix centuriatis comitiis nedum omnibus classibus admissis, incredibile dictu est quanto studio queque se ad omnes ordines ambiendos immiscuerit. Audisses eorum gravem et raucam vocem increbescere, post hec in clamore quam maximos erumpere; dehinc acri contentione partium, res vi et viribus agi cepta est, ut candidati ipsi furentes, pallio ad brachium

posito, in saxa saxis et facibus pro armis uterentur. Incredibile dictu est, quam istius conflictus fragor et bellantium fremitus mortalibus superisque ipsis terrori fuerit. Fluvii ex Nubium sanguine redundarunt; montes et deorum templa pavore et terrore contremuere. Ipsos deos, ac si celi fundamenta labescerent, totis animis suspensos extitisse haud dubium est. Solum Iovem fronte perplacida et serena, emisso suspirio, post tantos Nubium motus subrisisse asserunt, et rogatum dixisse, non id a se consilium ceptum temere, ut de rege sibi eligendo inter se Nubes considerare iusserit. Novisse enim per se preposteram et perversam Nebularum naturam, que quidem cum pectore fastu pertumide sint, tum et nimia satietate et fastidio rerum semper vagam et inconstantem degende vite rationem approbarint. Neque sibi non fuisse earum arrogantiam et importunitatem compertam et cognitam, tum aliunde, tum ex hac re, quod regem et regni sedem appeterent. Quem quidem si fuissent adepti, et in commune decus suas vires, consilia, voluntates, studiaque conferre didicissent, sine dubio prope diem futurum non defuisse, quin ille immanes atque audaces in tantam insolentiam proveherentur, ut astra, lunam solemque ipsum occupare inniterentur. Non igitur potuisse pulchrius eorum petulantiam retundi ac reprimi. Nam, cum omnis in quibus aliqua seu virtutis seu vitii similitudo insit perfacile una inter se congregentur, ut videamus quam ipsi potones, edones, amatores aleatoresque, fures, raptores, sicarii, facinorosi ac deinceps huiusmodi reliqui improbi et conscelerati, inter se, similitudinis vi et voluptate ducti, comiter et familiariter convivant; solus superbus sui similem superbum dedignatur atque odit, superboque quivis minus est quam superbus gravis. Superborum illud esse ingenium, ut inter se numquam sint non molesti et infestissimi.

## Templum

Fuerat, ut a maioribus nostri accepi, nobilissimum in Etruria ornatissimumque dee Tussis templum, vetustate religiosissimum structuraque omnium admiratione dignissimum, in quo sacrificia et dies non rarissimi multa celebritate et omnium finitimorum concursu festi agerentur. Quod sane templum forte in hanc usque diem perstitisset, ni mirum in modum casu quodam inaudito et admirabili corruisset. Nam evenit quidem ut lapides, qui pro fundamentis templi substituti iacebant, inepta quadam rerum novarum cupiditate ducti in huiusmodi sermones inter se irrumperent. "Quid agimus, ignavi? utrumne in hanc perpetuam servitutem deiectioni sumus, ut hoc immane cui substrati sumus pondus licuerit numquam deponere? semperne insolentes et inertes eos, qui nostris humeris incumbunt lapides, perferendos ducemus? quid, si illi quidem primi in hec loca devenissent? quid, si has longe ante alios sedes occupassent? quid, si ab illis vetustissima huius soli possessio, quam a nobis iam pridem adita et prescripta esset? quemam hec iniuria est? novos et adventitios lapides in luce versari et sole, nos vero, antiquissimos incolas in umbra et squalore perpetuo esse? quis usque adeo vecors hoc possit diutius perpeti? Illi inutiles et supini auro et coronis ornantur; nos, quorum labore et nervis omnis istius templi salus et incolumitas consistit, luto et musco sumus numquam non penitus delibuti et sordidi. Illosne cum candide et tenere puella exosculentur atque amplexentur, nos tantum neglecti et ignobiles eternum latitabimus? Liceat demum ab hac ignominia nos in fortitudinis et decoris gloriam vindicare. Consendam animo robusto atque audaci, nosque in alta et celeberrima templi sede, ut meremur, arripiamus". His dictis incensi animis sese ad eam rem conficiendam expediunt. Sed vix accincti unus atque item alter ad motum insurrexerat, cum omne templum hinc atque hinc ingenti fragore corrui. Eam ob rem fabri, cum ceteros tum maxime fundamentorum lapides partim ad calcem efficiendam confregere, partim ad substernendam cloace viam ex sacro loco admovere. Id cum ita fieri intuerentur lapides hi, qui tante calamitatis in causa fuerant, sua non minus et aliena incommoda atque iacturas indoluere. Atque inter deplorandum admonere singulos non desinebant: insanire illum qui nolit eum sese esse qui sit, prudentisque officium profecto fore, quemcumque sors dederit locum, non odisse; ac veterem quidem consuetudinem, etsi incommodam et iniquam, potius ferendam quam novis institutis ipsum te atque alios in grave aliquod damnum ultimumque fortassis malum precipitem dandum.

## Lacus

Quodam in lacusculo, quo nullum accedere animal nocuum consueverat, perplures pisciculi et ranarum numerus, diversorum morum animantia, dici non facile potest quanta cum voluptate una conviverent, vetustissima a marioribus suis ducta consuetudine ut omnia omnibus, tum ranis, tum pisciculis, essent in eo lacu communia. Nam quotidianus quidem eo in loco erat ludus huiusmodi: ut inter catervas pisciculorum, qui per choreas inglomerabantur, rane passim modos assultim canerent. Denique reliqua omnis vite degende ratio illis erat huiusmodi: ut ad iocos et festivitatem comitatemque addi amplius nihil posset. Summa in primis libertas, maximum ocium, nulle discordie domestice, nulle cum finitimis aut exteris contentiones, nulle invidie, nulle inter cives suspitiones; incredibilis animorum et voluntatum publicis privatisque in rebus consensus. Que res cum ita essent, seu communi fato rerum humanarum, quo nihil perenne aut stabile esse apud mortales licet, seu innata quadam in plerisque immodestia, ut nihil minus queant quam secundam et prosperam fortunam ferre moderate, evenit ut curiosi aliqui et nominis percupidi oratores pisciculi, ut dignum aliquid in re publica fecisse viderentur, hanc legem rogarent: LEX: Litus omne lacusque supremas partes rane habento; infimas regiones pisciculi tenento.

Et enim ea lex tum quidem universis placuit, preterquam senibus singulari prudentia preditis, sed ad dissuadendam legem non satis contra eos qui suaserant obloquentibus. Legis ergo latores, quod optimum vivendi ordinem multitudini adinvenisse viderentur, publice fuere collaudati. Divisa enim percommode hac lege esse regio putabatur siquidem vim haberet hec lex ut infimas aquas limum permiscendo ranis fedare non liceret, et pisciculos suis latebris contentos esse oportere. Itaque, cum legi dies aliquos summa cum observantia et religione paruisset, seque quisque suis sedibus non invitatus continuisset, item evenit ut fit; nam institutum adeo sanctum, adeo optimum, in re publica nullum introducit, quod ipsum aut legibus novis abrogetur, aut veluti fastidio quodam ab insolenti et rerum novarum cupida multitudine pessundatum negligatur. Pisciculorum enim plebs, pro veteri loci licentia et usu, non interraro in lucem supremam emergebat, et rane quoque pisciculorum sedes subibant. Ac lex quidem penitus in dies antiquari cepta est. Eam rem qui legis auctores fuerant egre et permoleste ferebant; suam enim auctoritatem non minus quam publica instituta negligi et posthaberi dedignabantur. Iccirco et privatis et publicis contionibus omni dicendi arte elaborarunt, ut pro lege servanda aggredi perpetique quidvis plebes quam pulcherrimum ducerent. Id quidem pisciculis in primis ad suorum eloquentiam circum obstupescentibus et studiosius applaudentibus usque eo persuadebatur ut, dimisso ab oratoribus preconio, ne, cum lapillus in lacum caderet, esset in mora quispiam, quominus illico ad suas sedes universi decurrerent. Sine ulla contumacia edicto a pisciculis parebatur, sed rane garule atque petulce et natura insolentes, vel quod pristina libertas et soluta vivendi ratio longe esset gratissima, vel quod oratorum nimium odiosam ambitionem fastidirent, non modo edicto non parebant, verum immo cum lapis ceciderat confestim partes imas lacus petebant, et contiones undequaque irruentes interturbabant, ac multo strepitu vocem oratoris exaudiri non sinebant. Oratores prodi rem publicam, gravissimum scelus admitti vociferabant, eamque contra leges contumaciam patrie allaturam perniciem deplorabant. Rane eos insanire affirmabant, qui non intelligerent introductos lege isthac tyrannos esse, ad quorum levissimum edictum turpiter parere didicissent: se enim nondum odisse libertatem, ut non pulchrius ducant sine novis legibus priscam maiorum libertatem tueri quam legitimam servitutem aliquam subire. Quid multa? dum hinc illi instant, hinc rane recusant legi parendum esse, sua dicendi vi oratores mobile pisciculorum vulgus assiduis contionibus assequuntur, ut que res prius festivitatis iocique loco licuisset, eadem ipsa nunc legis rigore pro scelere et gravissima iniuria habeatur. Multe iccirco hinc atque hinc varie et graves querimonie durissimaque convitia audiebantur. Iamque prope ad arma et ultimum discrimen studii partium res devenerat. Hoc loco pisciculi cum se viribus intelligerent inferiores esse, ad fraudem et dolum confugere instituerunt; digna res litteris et memoratu.

Non longe enim ab hoc ipso lacu pergrandis quidam serpens nidificarat apud palustrem foveam, quo

pisciculi per subterraneos meatus traicere consueverant. Hunc legati pisciculorum accersitum accessere, cuius legationis principes fuere iidem ipsi pisciculi oratores et legis suasores. Quorum eloquentia commotus serpens nihil prius agendum putavit fore, quam ipsis cum legatis ad regionem et gentem visendam advolaret. Eius adventu leti pisciculi maiorem in modum inter se congratulabantur. Ranarum enim superbiam, quas iam tum quidem ob tyranni metum animis cecidisse intuerentur, posthac nullam futuram arbitrabantur. Rane, ut pisciculorum fraudem et malum dolum non obscuris inditiis intellexere, par reddi pari oportere statuebant, ac lutriam quidem pisciculis infestissimum animal ciendum predicabant.

<...> Negabant enim <senes> non esse dementium civium odiis inter se quam pietate atque officiis maluisse certare, neque decere quidem crudelitatis odio id committere ut ipse impiissimus videare. Tum et domesticarum simultatum atque contentionum externum aliquem, non modo ultorem sed ne arbitrum quidem, cui vel invitis parendum sit, si sapiant, fore non admittendum. Neque non disputabant quam nusquam esset id futurum facile, ut superbos eiusmodi et ventri deditos <a> suis cervibus abmoveant, si quid forte, ut futuri sunt, graves esse occeperint. Addebant item vehementer futurum incommodum atque profecto dignum vituperio, si private malorum civium iniurie patrie discrimine vindicarentur, aut si ita iniurias persequerentur ut sibi in adversariorum calamitate perlugendum esset. Ac denique rogabant quam pulchre superis congratulaturi essent, siquidem concivium calamitate et propria ignominia delectarentur. Postremo ut odiis temperarent obtestabantur, namque si odiis certent, illud palam enumptiabant, eo pacto plane interitum patrie et ultimum excidium importari. Vicit tamen astutissimorum sententia et eorum quidem, qui ulcisci iniurias quoquo id queas pacto fore pulchrum persuadebant. Itaque, spretis senibus, per legatos pene ex ultimis terris lutriam advocavere. Bellua, et natura ferox et fame pene absumpta, ut primum opulentissima delata regna conspicata est, gratias egit superis quod se preter spem et expectationem tantis donis beassent, serpentemque convenit et cum eo divisum hac lege imperium iniicit. LEX: Serpenti in ranas, Lutrie in pisciculos ius esto. Posita lege, immanes principes, execranda ingluvie prediti, in quosque omnium ordinum utriusque gentis intolerabili libidine et detestabili crudelitate crassabantur. Honestissimi enim et fortissimi cives passim incognita causa trucidabantur. Nihil erat apud quosque, quod amplius suum putarent esse. Denique ita erant malis affecti, ut utrimque et proprias et inimicorum concivium calamitates lugere cogerentur; et in tantis malis constituti nulla spe melioris fortune recreabantur, nam in dies tyranni nimia licentia insolescebant atque atrocissimi reddebantur.

Quo igitur se verterent miseri, preterquam ut ad eos senes confugerent, quos prudentia et consilio prestare ipsis oculis perspicerent, non habebant. Iamque alter quidvis perpeti ab altero poterat, ne coram acerbissimum civium optimorum et amplissimarum familiarum casum atque interitum spectarent. At senes, cum qui salvis rebus opportune consulentes despexerant, nunc in rerum omnium perturbatione densissimis coronis quemque etsi delirum senem deplorabundi circum haberent, et graves ipsi atque intrepidi adstabant, se quidem satis evo et glorie vixisse mussabant, ineptosque esse eos, qui adversa in fortuna eorum opem efflagitent, quos in rebus secundis contempserint. Itaque ad eos astutiores multitudinem reiciunt, a quibus optima senum monita explosa sint. Tandem cum et filii et coniuges instarent, et omnibus precibus cum opem tum veniam poscerent, adducti sunt senes ut sese languenti et deficienti patrie non defuturos profiterentur, modo indocilis ea multitudo auscultet et dictis pareat. Istos multitudo patres in deorum loco, quibus sapientia et rerum futurarum providentia proxime accedere intelligat, sempiternae habituros adiurat, perpetuoque summa observantia et veneratione prosecuturos atque eorum ab dictis nusquam discessuros.

Gratum id fuit senibus; idcirco intenti et solliciti rebus, principio iussere ut in pristinam omnes gratiam et benivolentiam redirent. Unam hanc quidem rem eam esse, qua sola patrie salus et incolumitas restitui servarique perpulchre possit. Concordia enim civium nihil esse ad omnem tyrannidem propellendam atque perdendam accomodatius. Multa preterea in hanc unam sententiam disceptabant atque ut amicitia iungerentur hortabantur. Quibus quidem universi, quod acerbitas fortune animos omnium humiles atque mitissimos reddidisset, paruere. Positis igitur odiis, cum vi et

manu res agi nequicquam posset, astu et ratione crudelissimos tyrannos suis a cervicibus dimovendos bellissime curarunt. Nonnulli enim principes pisciculorum, qui eloquentia multo prevalebant, captato apud lutriam tempore, quo esset illa solutiore animo, huiusmodi orationem ordiri instituere: "Gratias quidem superis et in primis tibi, iustissime princeps, habemus, tueque virtuti merito et nostre fortune congratulamur, posteaquam in nostra re publica per te assecuti sumus ut pristina illa plebis insolentia et effusa solutaque licentia lasciviendi, quasi frenis positus, contineatur. Nam, cum illam quidem iactantiam, qua se pridem, dum nimia libertate abuteretur, plebs pisciculorum efferebatur, merito superis fore invisam crediderimus, tum nemo erat non stultus quin animo adverteret, eos lascivientes pisciculorum animos et nimium voluptati deditos prope diem grave aliquod patrie incommodum allaturos. Tu quidem, sanctissime princeps, iam iam imminentem huic genti calamitatem interpellasti. Neque enim esse e re publica eos cives putasti, qui dies omnes per iocum atque lasciviam plenos ducerent; parsimoniam prodigos atque elatos quosque mulctando et modestiam ineptissimos castigando sanctissime introduxisti. Que res cum ita sint, cum unus tu nostre rei publice incolumitatem et speciem intuleris, numquam et pro bene de nobis merito et pro nostris commodis id superos precari desinemus ut, cuius imperiis et institutis cives sint nostri cultiores redditi, eius apud nos imperium sit quam perenne ac longe firmissimum stet. Etenim cum de te principe huiusmodi omnium optimo sibi quisque persuaserit salutem suorum omni ex parte gratam tibi et commendatam esse, fit quidem ut nonnihil de pisciculorum commodis disputare non vereamur. Quod ipsum tibi laudi atque emolumento fore arbitramur. Consors enim imperii nostri serpens, quod bonum faustum ac felix vobis duobus sit, si abs te, quem in imperio, amplitudine et potentia sibi esse non superiorem vult, equitate item et pietate superari minime pateretur, profecto nihil deesset, nostro iudicio, quod ad huius nostre provincie felicitatem addi posse videatur. Nam cum ea quidem est felix civitas, quam optime leges ac predefinita moderataque imperia regunt, tum multo felicissima civitas est ea, in qua humanitas, facilitas, benignitasque principum, si quid forte in regendis ipsis severitatis adsit, moderetur. Que res cum secus et preter tuam voluntatem, si satis te novimus, humanissime princeps, eveniat; cum optime leges ab his, qui iura tueri debeant, negligantur; cum in his, qui in primis pietatem colere debeant, ipsi minus quam deceant piissimi sint; o noster rex, petimus abs te ut bonam in partem accipias, si hec apud te verba pene inviti habemus. Nam te quidem solertem et vigilantissimum regem, qualem te omnium unum esse gentes omnes predicant atque admirantur, nihil rerum omnium que apud tuos agantur, ignorasse decet. Officii que iccirco duximus agere id, ut per nos tibi cum salus esset nostra commendata, tum et regni tui obtinuisse dignitatem congratulemur. In causa hec sunt: nam evenit quidem tuo in regno, quod superi fortunent, ut que imperia sorte et legibus probe predefinita sunt, eadem per mitem patientiam, pace tua dicam, tuam, princeps benignissime, perque alterius, ut sic loquar, inconsideratam licentiam, iniuste quidem, atque ni fallimur impie, transgrediantur. Ac nolim quidem, superi testes, quemquam ad invidiam adduxisse, modo id queam, aut denique in tantis miseriis nostris communem nostram iniquissimam sortem tacite et sine lachrimis preterire, ac non apud te mitissimum principem deplorare liceat. Neque enim nos fugit, quod fertur, a principibus queque erga infimos et imbecilles subditos proficiscantur conducere patientia, et ferendo id eniti atque curare ut obtemperare et parere superioribus didicisse videre. Sed nos quidem perquam studiosissimos obsequendi, ea ut condoleamus causa cogit, quod nescimus qua id nostra fiat fortuna, seu velit ille quidem serpens fugientes corripere, seu tua non eo pacto intelligat regna labefactari. O miseriam! nequeo continere lachrimas; nulla posteaquam regnum inivit serpens vacua preterit dies crudelitatis. O rem indignam, preter et bonum, preter maiorum instituta et sacrosancti imperii leges, ranas a principe suo vexari, opprimi, lacerari; nullas apud iratum principem valere preces aut lachrimas afflictissimorum, nullas infelicissimis ranis, quo sese paulum ab internitio tueantur, neque sua neque in aliena regione uspiam relinquere latebras! Superbus ille, inexorabilis, ardens iracundia et furore insequitur, vultu, superi boni, quam terrifico, miscet, inturbat publica privataque omnia; passim fit a principe execranda cedes; optimorum civium morientiumque gemitus circum ad aures crebri et longe miserabiles feruntur. Neque id quidem nostra sine pernitie. Namque si quis fortassis tuarum partium tuique cupidissimus preter legem id fieri admonet, confestim penas irato pendit,

teque ipsum, o noster princeps, si quid interpelles, pari odio prosecuturum deiurat. Quibus spectaculis nos pro humanitate et nostro etiam incommodo, ut par est, maiorem in modum territi, pexime nobiscum agi arbitramur unaque cum infelicissimis concivibus nostris ranis furentis illius presentiam fugimus. Et quam illis opem aut auxilium afferamus? Aliudne quidquam habemus? Sed in tantis malis nos unum hoc recreat, quod te profugium a diis datum intelligimus, in quo sit omnis nostra salus constituta: fitque a nobis hoc partim necessitate, partim etiam tua benignitate, ut ad te piissimum principem adire audeamus, proque veteri consuetudine qua ranis coniuncti communi in patria sumus, a te petamus ut eas a tanta calamitate immeritas, quoad possis, esse per te salvas cupias nostrisque incommodis opportune prospicias, tametsi sumus te incolumi felicissimi, cui non tuorum modo sed aliorum quoque fortunas et commoda fore commendata non diffidimus. Atque ut nostra quidem incommoda, que ne parva quidem neque interrara a serpente in dies suscipimus, pretereamus, illud non negligendum censeo: quod latius diffusiusque hoc emanat malum, quam perpetua patientia honeste aut tuo sine detrimento perferri possit. Etenim, ut cetera omittam que tute sapientissimus conspicies et pulchre coniectabere, quid tandem ex hac unius immanitate, princeps, quanta in te putas detrimenta insurgant? Etenim cum tibi satis nemo ab istius impetu et amentia tutus, rebus domesticis omnibus omnique familia omissis, in desertos et steriles amnes huius istius atrocitate et furore defugere et delitescere in horas cogimur, curam protinus omnem prolis sufficende desertam habeamus necesse est. Quo fit ut, cum tue regni partes minus quam oporteat, ac minus quam pro tua iustitia et pietate cupias, tranquille et pacate sint, tum et minus quam tibi, optimo principi, expediat uberes atque populose in dies reddantur. Neque sit qui dubitet, ni huic calamitati (quod speramus) tua sapientia modum imposueris, eo rem venturam brevi ut, collabefactatis familiis ac denique omnibus perturbatis rebus, desolata penitus res publica ac deleta futura sit. Plebem enim in ocio et quiete vitam degere oportet, qua civitas leta et civium frequentia celeberrima reddatur. Quod si tu recte consulentibus credideris, non profecto committes tua patientia ut auctoritas, decus fortuneque imperii tui aliorum insolentia comminuantur. Idemque si eos reges, qui cuiusvis arrogantiam, temeritatem, impietatemque non, cum id possent, cohibuerint atque a suis prohibuerint, bonorum opinione et iudicio aut meticulosi aut desidiosos famam et nomen subisse pro tua sapientia recordaberis, cum horum utrumque longe a te esse alienum novimus, tuas profecto, ut arbitramur, fore partes non negabis perpeti nihil quo minus regnum ut geris ita longe preclarissime gessisse videare. Te quidem, o noster rex, quod et pius et iustus et pacis tranquillitatisque atque ocii cupidissimus sis, omnes admirantur, summis laudibus extollunt, nihilque usquam est, quod ad divinum aliquem principem constituendum accomodari valeat, quod ipsum in te a quoquam desideretur, ni fortasse hoc unum illud fiet, quod mirificis laudibus tuis non conveniat: si quid fortassis preter tuam virtutem et administrandi regni prudentiam dementissimum immanemque serpentem, non preces, non lachrimas curantem, non iura, non deos ipsos verentem, tuo cum detrimento diutius insanire permiseris. Essent fortassis qui a te, tua fortitudine et animi amplitudine freti, maiora exposcerent, quam nos meticulosi et perterrefacti orare audeamus, causasque tum has, tum ceteras omnes piissimas atque honestissimas adducerent atque obtestarentur ne hunc ipsum, qui te communiaque iura despiciat, dum ita crassetur, tam religiosi esse nominis participem ac sanctissimi regni consortem dici patiare. Sed nos neque illum, quoad ita statuas, habendum regem inficiamur, neque si mite et legitimum eius sit imperium, non prope a te diis proximum et equalem verendum profiteamur. Tametsi quis censeat illius esse principis rationes probe constitutas, aut imperii nomine dignum hunc, qui in suos petulantissimus, in alienos audax, iniustus, immitis, crudelisque sit? Sed pro officio pietatis, ut instituimus, non ut de cuiusquam vita et moribus disseratur, eo unde digressi sumus redimus. In te quidem, iustissime princeps, omnis emeritarum ranarum atque una nostre spes site sunt; quo confugiamus preter te nihil relinquitur. Ne nos deseras iterum atque iterum obsecramus! Tu salutem nostre dignitati nominique tuo consules".

Itaque hac oratione pisciculi non sine munere divum, qui immanitatem ac duritiam principum in primis exosam semper habuere, rem ex sententia rane confecerunt. Namque lutrie odium adversus serpentem concivere ut iam tum quidem orantibus pisciculis totis illa animis esse ad vindictam se paratam gestierit.

Alia ex parte item rane delatores subornant, quibus apud serpentem insimulent multas atque admodum lautissimas ranas fastu tumidas, quod serpentis imperium dedignentur, inter pisciculorum domos ociosam vitam et inertem ducere, ibique iura imperii patriasque leges maiorem in modum aspernari ut, omnium iudicio et sententia tum ranarum tum etiam pisciculorum improbitas damnanda et omnibus modis coercenda sit, siquidem prebendo hospitio legibus fraudem et manifestam rei publice ruinam afferant, et occasionem delinquendi huiusmodi contumaces excipiendo prebeant. Quas res principi huiusmodi, omnium iustissimo et legis observantissimo, maiorem in modum esse graves et molestas quis ignoret? Et laudandus quidem qui severitate id agat, ut legis transgressores petulantie et immodestie sue peniteat. Quod ni effusa audacium licentia revocetur, ni elata insolentissimorum superbia reprimatur, ni denique dissoluta civium ingenia et efferate libidines flagrantisque cupiditates rigore et metu aliquo contineantur, profecto non defuturum quin prope diem imperii viribus et robore collabefactatis, cuncta sit res publica corruitura. Consulendum iccirco non saluti modo, verum et dignitati et existimationi et amplitudini imperii, ac decere quidem apud cives principem fore in metu, quo neque improbi peccare nec impunitos imitari ceteri audeant. Oportere principem animadvertendo fortem constantemque esse, idque fugere condecere, ne parcendo et indulgendo committat, ne desidiosus, ignavus et suarum rerum indigentissimus custos videatur. Nulla quidem in re principis diligentiam eque laudari, atque dum id pre se fert idve studet, ut sui minus peccando fiant in dies longe probatiores; fieri idque posse perpulchre, si dederit operam ut delinquentes admissi peniteat, et insontes virtutum laudibus et premiis glorientur. Neque esse cum primatum tum multitudinis lasciviam ferendam, que quidem, primatum exemplo, tumido pectore et picta veste, inertes, et vagari oppido et leges non vereri et principum iussa aspernari didicerint. Quo procul dubio fit ut, abdicatis solertie artibus, preque solo fastu reliquis publicis atque privatis curis posthabitis, sue regni partes earum ignavia et arrogantia exiles tenuesque in dies reddantur.

Illud preterea minime ferendum esse, quod in eam superbiam animo substulerint, ut iam non desint qui se iugo servitutis inique premi in compitis vociferent, et libertatis vindices non abfore, si occasio detur, adiurent, Lutriamque unicum et popularem et sanctissimum regem salutare, teque execrari impudentissime audeant. Quas res, si regni memor, si sue virtutis non oblitus, si quis se deceat memorie repetens diligentius pensitarit, profecto suum ita hac in causa esse necessarium puniendi officium ducet, ut insigni aliqua in unum aut alterum severitate agendum statuatur, ne reliqua multitudo metu percussa legibus parere et principem vereri non assuescat. Nam se quidem, que in littore iussa principis expectantes iaceant, semper esse ut volet ex sententia habituras; illas autem perfugas et perveras, que aliena in regione quam inter suos per ambitionem malint vivere, que ne iustissimo principi obsecundent liberos et deos penates deseruerint, que leges et principem aspernentur atque oderint, queque rem publicam plurimis incommodis afficiant, omnibus esse penis castigandas.

Itaque persuasionibus huiusmodi suapte natura Serpens ad iracundiam proclivis maiorem in modum incensus, tantam in iram prorupit, ut maximo iureiurando deos superos atque inferos testarit sese obnoxias omnes et que imperia detractarint severissime puniturum. Atque ire eo proventus est, ut e vestigio in singula eius lacus diverticula perlaberetur percunctans, perturbans fedansque omnia. Interea, cum ad hunc ipsum lacum Lutria, rex alter, multa que superiori oratione conceperat animo agitans, appulisset, remque in discrimine nosset esse, plebem <que> omnem pisciculorum vehementer esse ex constituto inter eos et simulato metu perturbatam conspiceret, ira et indignatione concita sese in lacum precipitem dedit totisque viribus duello Serpentem expetit. Serpens fortassis quod sibi iniquus ad pugnam locus videretur e lacu arduus in sicco irrepsit. Illa mordax insequitur; pugna proximis in campis eos inter reges sistitur. Pisciculi raneque eventum pugne tacitis intra se votis prope expavescentes prestolantur. Illi inter se atrocissime dimicant isque pugne finis fuit quem superi ipsi, ut duo crudelissimi tyranni tollerentur, constituisse videntur. Serpentem Lutria medium apprehenderat; tum contra Serpens multo morsu multoque veneno Lutrie fauces conficit, illamque omnibus nexibus morientem complexus moritur.

Hic primum rane 'io, rex' theatro constrepentes acclamavere; pisciculi que id simulachrum duelli

quod reges in lacu miscuissent ludicro inter se agere didicere; reliquaue omni in vita pristinam et omnino liberrimam degende vite rationem resumpsere. Quam quidem consuetudinem in hanc usque diem, quantum videre licet, sancte et inviolate observant; incultam quidem libertatem quam ornatisimam servitutem commodiorem esse pro vetere a suis maioribus accepto more versibus decantant.

Siquid ego hac fabula conscripsi quod ad voluptatem legentis accesserit, gaudeo: certe, ni fallor, pleraque adduxi que ad rem publicam moderandam accommodentur.

## Lupus

Pastor quidam ad vitim annosam et putridam alligarat asellum fune quadam prelonga et in vineam secesserat lignatum. Evenit ut, dum alias atque alias paulo semotiores frondes pullus carpere eniteretur, ipsa cui esset alligatus vitis, ruptis a solo radicibus, evelleretur. Hoc factum est ut annexum fune truncum pullus trahens late ac passim lasciviret. Lupus quidam veteranus e regione vagantem pullum spectans, huiusmodi secum verba referebat: "Etenim quenam, inquit, mihi fuit dies, quam hec umquam ad predam aptior aut tutior? non canis, non custos, non defensor aliquis adest quicum mihi sit pro preda dimicandum. Et quo admiror, nusquam pastorem ipsum video. Quem quidem etsi decrepitem atque invalidum timendum mihi esse minime ducam, tamen quod omnia hic vel minima incommoda cessent, voluptati est. Ac liceat mihi quidem apud me gloriari; me quis fortior est, quis audentior? ut ceteras innumerabiles palmas et coronas meas iam missas faciam, huius istius delicati aselli avum media in cohorte, spretis canibus, confeci. Et quis spiritus, et que mihi tum in florida etate vires et robur aderat! Nunc autem, etsi annis gravis et tardior sim, vis tamen et ferocitas animi haudquaquam imminuta est. Quam rem ita esse, huius istius aselli familia non obscure sensere. Qui enim adolescens illos iam adultos vi et viribus laceraveram, idem senex cum istius fratre, asinorum omnium firmo et valentissimo, rem gessi perstrenue. Adde quod pastorem ipsum glebas in me iacentem supercilii mei maiestate et dentium virtute ostentata perterrefeci, ut loco herere et contremiscere coegerim. Ne vero tu, mollicule, funerum tantorum nepos, meos etiam ante oculos impune spatiabere? Nostram nimirum, ut videor, hec gens ad predam nata est".

Hec dum secum lupus ageret, pullus in proximum antrum vagus ingreditur. Id antrum pastores servandi pecoris gratia cratibus occluserant, una tantum valva viminea pro ostio obiecta. "O, inquit iccirco lupus, satisne potero meas hodiernas fortunas laudare, an committam ut, quam mihi fortuna felicitatem prestiterit, eam negligentia perdidisse videar. Advolo igitur ut, quod occasio esse meum velit, id solertia intercipiam". His dictis propere antrum subingreditur. Erat locus suboscurus; iccirco fato quodam asellus ab diversa qua pergeret parte e vestigio ex antro refugit. Hunc valva antri ad funem et truncum qui trahebatur complexa exeuntem subsequitur. Lupus ea re antro inclusus, cum omnia unguibus et dentibus et totis viribus ad exitum frustra pertemptasset, supplex quevis pollicitando, orando salutem suam pullo commendabat. At pullus, fune obligatus, perterritus, quo sese magis ad fugam coniciebat, eo ab inherente valva firmiter detinebatur. Pastor interim pullum queritans superadvenit; re cognita valvam arctius obfirmat. Atque: "Heus inquit, truculentissime, tua illa pristina audacia et inexpiabilis crudelitas quonam te pacto deseruit, ut veteranum predonem inermis pullus deceperit atque furentem concluderit. An non dispudet isthuc, quod preter dignitatem agis, dum illam antiquam et pertumidam personam tuam sordide et despecte obieceris, hanc vero humilem et abiectissimam indecentissime susceperis? Tene tanto cum tuo dedecore supplicem puerulo ignavissime prebuiisti? Armisne te assuetum inque gladiatorum licentia et impunitate versatum non dedecet ita supercilium et fastum antiquum posuisse, ut tam devicto et summisso animo ab his veniam ores, quos intuitu solo perterrefacere fueris solitus? Lue iccirco emeritas penas, scelerate".

His dictis maximam vim lapidum superne in illum coniciens pastor, "Utrumne, inquit, quas pridem despiciebas glebas tibi obduruisse admodum videantur?" Postremo ictibus confracto et mactato



lupo, eius ex pelle utputa ex hostis exuviis quam bellissime asellum ornavit. Hoc exemplo intelligi volo in hominum genere persimiles nonnullos lupos comperiri, qui ociosos et quietos cives incommodis et omni iniuria afficere non desistant. Eos quidem meminisse oportet, inermem fugientem atque obligatum pullum asellum in eo loco ad exitum, ad gravissimas penas luendas veteranum predonem lupum oclusisse, quo sese tutissimum et felicissimum arbitraretur.

## Aranea

Homo quidam frugi et modestus, ob irritati in se elephantis metum perterrefactus, fugiens proceram conscenderat arborem, qua in arbore ab infesta belua obsessus deprecabatur verbis et multis et accuratissimis ut sibi, a quo nulla esset iniuria lacescitur, parceret. Cumque suas omnes preces parum apud beluam valere intelligeret, meticulosissimus et sua de salute desperans, opem atque auxilium deorum cepit maximis votis exposcere. Eadem forte in arbore aranea animal nidificavit, ac per id temporis contemendis telis pro suo more exercebatur; mota hominis adventu, rem per vim indignissimam conspicata, partim miserandi hominis ultimo in discrimine laborantis misericordia, partim immanitatis inexorabilisque pervicacie odio in elephantum excitata, parumper ab opere destitit; ad hominem propius accessit.

"Etenim, mi homo, dum isthic assum bono te animo esse iubeo. Nam etsi pusillam imbecillissimam abiectamque me intuearis, nostram profecto, superis iuvantibus, tibi adversus iniurias esse operam accommodatissimam senties. Odere superi immanem isthanc et efferatam ledendi cupiditatem et pertinaciam. Deos ego vindices et auctores fide et officio pietatis tua in salute tuenda sequar. Vincet hac in causa pietas crudelitatem nostramque ne dubita officium belue istius crudelitatem et furorem [belue] retundet. Testatum hoc apud te sit: sceleratum procul dubio teterrimi hostis institutum, superis faventibus et coadiuvantibus, frustrabimur". Hec aranea. Homo vero: "Te quidem, inquit, tantos ad vindicandum scelus animos imbuisse ac istiusmodi grandia polliceri sine deorum numine non arbitror posse. Et in qua tanta pietas tantaque misericordia, vel potius religio incesserit, fore pusillam aut abiectam minime umquam putasse decere censeo, quin mihi quidem in tanto periculo obligari beneficio abs te vehementer erit gratum. Nam, ut intelligas qui meus erga te sit animus, quaqua id sorte vel fato accidat, ut hinc ad meos incolumem defugisse liceat, unum hoc est quod tibi despondeam pro tuo tanto porrecto beneficio: fore ut mea tibi semper quoad velis tecta ad hospitium perpetuo pateant. Tibi arca panaria, cella vinaria et omne penus, quod apud me sit, tecum communia sint volo".

Placuit utrisque optimam isthanc inter se iungere consuetudinem. Ac "bonum hoc felixque ambobus sit, inquit aranea; me quidem habebis hospitem, quovis angulo edium contentam. Nunc quod instat esto optime spei, et deos iniuriarum ultores quantum in nos sit sequamur. Non facile dici potest quantos in me animos atque spes causa ipsa iustissima et piissima excitet. Itaque tu tantum macte contra metum fortitudinis esto. Ego pro industria et viribus curabo, ut in causa tua versari amicissimam et tui cupidissimam intelligas".

Cum igitur huiusmodi dictis perterritum hominem esset hortata aranea, conscendit propius ab elephantum et hanc habere orationem instituit: "Age, queso, et quid tibi est cum istoc irarum, ut adversus inermem et imbecillum tantis odiis decertare non desinas? quid miserandi preces aspernaris? Sin tu nulla ex eo lacescitur iniuria immitem et inexorabilem te prestas, pace tua dicam, tanta amplitudine et viribus quibus inter animantes prestas abuteris. Insonem enim et miserum iracundia et pervicacia persequi, non eorum est qui se magnos et prestantissimos haberi velint. Sin autem iniuria te affectum dixeris, annon tibi tandem vindicandi habendus est modus et ratio, ne aliene iniustitie odio ipse committas quippiam quo impius, inexorabilis aut crudelis videare? Quod si maximo prediti animo, id probe et prudenter prospicere consuevere, ut ni pro iustitia ad concertandum accessisse videantur; si fortes ipsi et invicti non decertasse modo, sed vel in primis gravem et molestum ipsum inimicum superasse pulchrum ducunt; si item qui natura et ingenio ad laudem et gloriam propenso fuerint non incommodis inimicorum sed sua magis victoria gaudent,

habes tu, elephas, quam ob rem et concertationem isthanc cum homine finias et vicisse glories. Nam qui sese prebet supplicem, qui sese tibi commendat precibus, qui denique lachrimis ut sibi parcas deprecatur, is quidem cum sese profitetur, tum ut ad fortitudinis et victoriae gloriam mansuetudinis quoque et clementie laudem accumules, preclaram tibi atque insignem quidem occasionem prebet, quam tu, si aspexeris, profecto non recusabis a fortunaque, vel potius a virtute ipsa tua, isthuc suscipies, ut cum fortitudine facilitatem, cum iustitia pietatem et misericordiam coniunctam habere te omnes intelligant. Quod cum habeat in delinquentem fortitudo longius nihil, quam cum infestum et audacem adversarium virtute superet, quoad eius contumaciam et superbiam coherceat atque comprimat, habes tu quidem quod ad fortitudinis gloriam debeatur: vicisti, satisque penarum ab adversario suscepisti, cum illi ad salutis spem nihil preter tuam clementiam reliquisti, ad quam destitutus et miser confugiat. Annon eum vicisti, quem tuum effeceris? Tuus profecto est hic, cuius in tua sit potestate salus; tuosque per te perisse quam salvos esse cupere, longe a tua fama et nomine alienum esse statuo. Preterea isthac obsidione et incerte victoriae expectatione, quid tibi sit futurum commodi aut voluptatis, velim iterum atque iterum perpetua sapientia spectes, ne plus quam par sit perdendi miseri desiderio cara tempora et longe utiles dies ad preclaras res et te dignas cum laude obeundas perdas. Alibi enim contra ferocissimum hostem, qui quidem vi et viribus, non qui precibus et lachrimis tecum certet, animi tui robur et vires maiori cum laude ostentabis. Hic potius pietati et misericordie satisfacies, quod insigni prestantique cum gloria tua fiat; nam aut pepercisse noxio, aut saltem innoxio dedisse te gravem esse, laudabere. Ac fuerit quidem isthec tua vindicandi conditio, ut cum severitate coniungi certatio potuerit victoris certe, et eius maxime, cuius animi generositas ab omni crudelitatis turpitudine abhorreat, ni fallimur, erit huiusmodi, ut miseri deprecantis preces turpe ducat aspernasse. Que res cum ita sint, moveat te pietas, moveat officii ratio, moveant et preces mee lachrimaque miseri huius destituti, qui nihil habet ut se a calamitate vendicet preter lachrimas, nihil invenit ut spe aliqua ipsum se sustentet, nisi quod non diffidit in te facilitatem, mansuetudinem et benignitatem hac tanta tua dignam amplitudine non deesse. Et putat quidem non te ab officio iusti et equi principis sine emolumento velle aberrare. Illud non preterisse velim, nos quidem, utcumque sumus, hoc tibi si pietatis munere amicas adiunxeris, non, mihi crede, elephanto oberit fore sibi non inimicam araneam".

His dictis, cum aranea elephantum in quadam admiratione sui detinisset, quod pusillum et minime existimationis ac nullius pretii animal se uno animantium maximo et precelso coram proloqui tam audenter non vereretur, illud stomachari cepit, araneam abiectissimam et prorsus imbellem animantium elephantum admonuisse, ut secum iungere amicitiam turpe non duceret. Iccirco indignabundus promuscide obacta subderisit rictu, atque: "Censen, inquit, deos nobis esse difficiles, si cum aranea fedus depaciscendum est nobis?", multaque et gestu et verbis adiecit, quibus indigne se aranee procacitatem ferre ostentaret. Eam insolentiam et fastum aranea acerbissime ferens, iniuriam sibi ab elephanto fieri conquesta est. Id quidem, cum ceteras ob res, tum vel maxime quod in eum, qui ad suam fidem confugisset, durum atque inexorabilem preter fas et decus prestaret. Quare posthac, que sue sunt partes, iustam et piam contra impium et immitem se causam nisi cum ultimo vite spiritu deserturam, deosque testes et patronos iccirco vocare, non sponte sed invitam contra elephantum suscepisse inimicitias, si forte inimicitie quam iuris et equi patrocinium appellande sint potius, quas quidem nisi parca victoria devictaque superbia sit numquam depositura.

His auditis elephantus obtorta cervice et altero sublato pede in pronum despectasse araneam ferunt, atque dixisse: "Pol, quidem, nos, quem princeps hic animantium, homo exterritus fugerit, tibi digitis prelongis minitati non iniuria parcendum statuemus. En quid possit insania?". Dehinc ad hominem conversus huiusmodi convitio usus extitit: "O generis et nobilitatis tue penitus oblite, tamme tibi hanc posse lucem intui dulce et suave est, ut bestiole istius vilissime fidem et auxilium implorasse a tuo esse nomine alienum et turpitudinis plenum non ducas? quod si cetera que mihi tecum sunt ad te delendum momenti parum haberent, hoc tamen unum impelleret, ut terra marique te unicum summis odiis prosequeretur, quod indecentissimam atque ignominiosissimam aranee amicitiam timoris causa susceperis. Deos iccirco testor: me quidem dum vita superstes sit, dum spiritus vires suggeret, ab

hac tui obsidione, homo, non abiturum me, aut arborem isthanc radicitus evulsurum, omniaque istius tue animi imbellicitatis odio tentaturum, dum te omnium ignavissimum atque secordissimum meam in potestatem et dictionem redigam".

Atque dum hec ita iureiurando elephas nutabundus, quoad in se esset, futura affirmasset, multaque ad eam ipsam rem conficiendam pro viribus et ingenio frustra tentasset, ferunt araneam per filum delapsam sumpta occasione furtim in auriculam bestie sese irrupisse, eamque elephantis tenerrimam et mollissimam corporis partem infesto aculeo perquam assidue confodisse. Quibus quidem stimulis acta bestia, superiori indignatione concita novissimaque molestia acius incensa, cum iam satis omnia ad araneam eruendam aut opprimendam frustra temptasset, quod in ea re suos omnes conatus irritos intelligeret, sui ipsius tedio in furorem quandam elata, totam sylvam impatiens excursitando, quasi a superis missos cedentes fugeret, aberrabat; quod defatigatus resupinus ingenti cum fragore cecidit; quo bellue casu cognito homo hinc, aranea illinc, fuga sibi confestim consulere.

## *Canis*

Erat in more apud maiores nostros, viros omni bonarum artium cognitione et imprimis disciplina morum sanctissimorum et religione prestantissimos, ut bene meritos cives laudibus prosequerentur clarorumque virorum nomina litteris et, quod in se esset, immortalitati summo studio omnique industria commendarent. Id illos ita consuevisse possumus interpretari: partim ut referendis premiis equitate et iustitia uterentur, cui virtuti penitus erant dediti; partim ut iuvenes studiosos ad virtutis cultum, quod patrie utiles et celebres eo pacto apud posteros redderentur, vehementius illicerent et confirmarent; partim etiam otium, quo fortassis abundabant, in eo collaudandi munere omnibus grato atque accepto consumerent.

Tantumque apud eos et publice et private valuit studium concelebrande laudis hominum probatissimorum, ut non in funeribus modo, quod hac etate inde accepta consuetudine fit, publice laudationes haberentur, et litterarum monumentis mandarentur; verum etiam eo processit res, ut non contenti humanis laudibus atque gestis, alii deos effecerint suis scriptis eos qui virtute effloruissent, alii preterea ficta et nulla ex parte credendas fabulas ad virtutis illecebras accomodarint. Hinc Athenis multe a rethoribus funebres acte orationes. Hinc apud nostros a simili quoque per id tempus vulgata consuetudine sumptaque licentia extitit, ut non modo cives optime de re publica meritos pro officio dicendo ornaverint; verum etiam suos domesticos privati cives publica in contione collaudarint. Etenim (ut ceteros obmittam) Marcum quidem Antonium suavi oratione collaudasse matrem in funere et Fabium Maximum de filii laudibus funebrem habuisse orationem ferunt. Ab hac denique consuetudine Hercules deus dictus est, addita etiam Hydra et bellua Lerne, et eiusdem monstra que ab re essent et prolixum prosequi emanarunt.

At nobis per istos estivos calores et estus otiosis, cum ipsa etsi acerba occasio obtulerit, ut meo mihi admodum innato aliquid continuo agendi aut scriptitandi desiderio honestissime et pene coactus satisfaciam, quid iam est quod promptius exequar, quam ut in ea re exercear, in qua officio et (ni fallor) minime improbando desiderio meo conferam? Etenim, cum intelligam ita esse ab optima ipsa natura comparatum, ut virtute insignes et eos maxime quibus cari et commendati fuerimus imprimis diligamus, propter pietatem visum est, si hoc amoris officium, quod defuncto Cani meo canum omnium optimo et mei amantissimo debeo, denegarim. Nam si bonos omnium consensu iuste et pie quasi virtutum suarum observatores et testificatores nimirum laudamus, quanto hoc commodius et decentius a me fiet, qui laudare instituerim hunc, quem apud me educatum et optimis per me disciplinis instructum, ad unguem norim? Qua in re tantam cuperem quidem esse in me dicendi facultatem, ut hac ipsa in funebri oratione maximas illius et incredibiles laudes pro legentium expectatione satis posse recensere. Nam in ea re quam me acturum prestem, siquid defecerim, ridiculus sim. Sed hoc ad scribendum audentius aggredior, quod illius virtus que iam usque universis orbis terrarum gentibus explorata magna ex parte fuit et cognita ex se tanta est ut, cum eloquentie ornamentis minime indigeat, tum esse illam nobis amplam et rerum dignitate ac varietate elegantem ornatamque orationem sumministraturam non diffidam.

Describam igitur breviter vitam et mores Canis mei, ut qui legerint neque prolixitate orationis in fastidium incidant, neque nos nimium curiosos et exactos laudatores fuisse iudicent; ac futurum quidem non vereor ut, cum canem ipsum laude dignissimum et in eo laudando me officium secutum affirmant, tum sibi ad voluptatem animi et ad mores bonos plurima apud nos adinvenisse admonimenta non negent, que cum laude sequantur et condigne imitentur. Etenim ortus est Canis noster parentibus nobilissimis, patre Megastomo, cuius in familia vestustissima pene innumerabiles clarissimi principes extitere, ut inter ipsos aliqui ob virtutem in numero sint deorum apud priscas illas sapientissimas egiptiorum gentes habiti, qualem etate hac nostra medium inter astra fulgentissima ex eo genere quendam vagari canem, qui siderum motus et cursus non ignorant, omnes profitentur. Matrem autem habuit pietate insignem ex eadem et amplissima familia ortam que, cum virtute et animi robore et prestantia atque viribus, tum fide benivolentia pietate observantiaque in eos a quibus se liberalitate et beneficiis adiutos senserint, ipsos longe homines

exuperarunt.

Ac prolixum quidem esset maiorum suorum omnium facta dictaque memoratu dignissima recensere. Sed hoc iuvabit aliqua eorum gesta enumerasse, quo intelligamus hunc nostrum a pristina suorum probitate et virtute minime degenerasse. Itaque inter proavos familie canum memorie traditum est nonnullos tanto animo et fortitudine preditos extitisse, ut neque leonem quamvis acerrimum et ferocissimum neque elephantum, maximam et valentissimam beluarum, in duellum petere recusarint. Quo ex omni fortissimorum canum numero ceteri plures, et imprimis duo apud Hiarotim, Indorum fluvium, orti, qui, prius sub rege Albanorum mox sub Alexandro macedone meruere, celebres notissimique sunt; quos ferunt, cum elephantum aut quamvis belluam morsu comprehendissent, nisi ea prius confecta, neque igni neque ferro ab suscepta dimicatione et victoria nequidquam potuisse avelli. Quanta autem huiusmodi fortissimorum canum extiterit copia, hinc vel maxime perspici potest, quod Caramantum regem suis auspiciis et armis ab exilio in regnum restituerunt, Colophoniosque et Castabalenses nullis stipendiis acceptis nullaque alia spe lucri proposita, sola benivolentia ducti, primas acies agendo et hostem cedendo sepe a populationibus gravissimis et imminente servitute vindicarunt. Fuere igitur et perduellionibus et structa in acie fortissimi atque quod raro hac etate evenit, ut armis fidentes iustitiam et pietatem colant in hac nobili canum familia sempiternae usque ad hanc diem humanitas fides et referende gratie studium viguit non minus quam fortitudo. Incredibile dictu est quam illi quidem in servanda fide perpetuo fuerint religiosissimi. Aratus Sycionius, vir et domi et bello clarissimus, capto Acrocorintho, fortissimo provincie aditu, a quo pene omnis patrie salus pendebat, arcem eius loci non fidissimis amicis magis quam canibus quinquaginta tuendam commendavit, quam illi diligentissimis diu noctuque excubiis peractis servarunt; tantamque quoquo se loci receperint omnium gentium in se gratiam et benivolentiam optime agendo semper assecuti sunt, ut ceteri plerique atque imprimis Xantipes priscus defunctos canes qui bene essent meriti publica impensa honeste humanos censuerit, cuidamque cuius fidem et amoris constantiam Salamine et in omni sua expeditione esset expertus in arce apud Athenas sepulchrum quam honorificentissime posuit, locumque nomini eius dicavit qui Cinotaphium nuncuparetur. Quid clarissimo illi fecisset Xantipes cani, qui Sparagum puerum, cui postea Cyro nomen fuit, crudeliter expositum, cum invenisset, motu pietate, ceteris suis posthabitis rebus, summa sollicitudine et inextimabili quadam charitate tutatus est. Quive (quod incredibile distu est) quot et quam maximas atque atrocissimas in servando puero contra voraces lupos et istiusmodi fame sevientes feras fortissime, illatis acceptisque vulneribus, dimicationes inierit? Sed ne pietate quidem huic is inferior canis fuit, qui, dum a perempti amici cadavere exposito volucres et feras arcendo persisteret, per sitim ac famem atque laborem defecerit. Adde his et illum qui, Appio Iunio et P. Silio consulibus, Rome nulla alia sanctiori necessitudine devinctus, nisi quod perdomestice convivere domumque nonnumquam ex mediis nemoribus raptas ad eum cenas conferre consuisset, familiarem suum hominem quendam tanto officio prosecutus est ut adversa et calamitosa in fortuna collapsum ne defunctum quidem deseruerit. Nam etsi egenus canis ipse ac pro querendo sibi victu nequicquam esset otiosus, tamen apud familiarem suum carcere publico detentum sese comitem habebat assiduum, ab aliisque amicis rogatum, cibum ad hunc miserum hominem in dies deferebat; atque cum miser ille ad penas Germanico principi a quo detineretur persolvisset, in Tiberim eiectum cadaver sustentando summo suo cum periculo annatavit. Verum enim si quis velit canum omnium pietatem et fidem prosequi tanta et tam multa eorum virtutis exempla ab optimis auctoribus memorie prodita inveniet, ut quidvis facilius eum posse existimem, quam eadem omnia unum in locum collecta redigere.

Que res cum ita sint, nos brevitatis gratia maiorum huius familie laudes pretermitemus, atque id quidem ita agemus, vel quod de huius nostri Canis laudibus nimium multa et elegantissima ad dicendum suppeditent, vel quod non eo me ingenium preditum sentiam, ut illorum superiorum preclarissima gesta pro dignitate queam recensere, vel quod fortassis quibusdam qui potissimum Canis nostri egregias laudes expectant, ab re esse maiorum commemoratio videatur. Preter duos igitur in amicitia singulares, qui mihi occurrunt et quos ob facti admirationem minime pretermittendos duco, ceteros obmittemus. Non inter hos quidem illos commemoro, quorum unus in

Epiro amici sui peremptorem nulla homicide arma aut minas veritus, presenti animo et acri latratu ac laniatu in cetu hominum prodidit. Quorumve alter pari animi fiducia Ganictoris filios, Hesiodi occisores indicavit. Neque eum qui sacrilegum ab templo Esculapii sectando obviis peregrinantibus gestu et nutu monstravit. Eumque missum facio canem qui ad Romanum civem bello civili prostratum adstitit contra prostrati inimicos belligerans tantis viribus, ut inimici armati non nisi interfecto cane abscidere prostrati caput potuerint. Sed hos igitur missos facio eosque admirabimur, quorum unus Lisimaco regi amicissimus, cum amicum e vita exisse atque in rogam eius corpus delatum intueretur, pre amici desiderio ut quem in vita amplius non esset conspecturus morte celebri consequeretur, sese medias inter flammas funeris iniecit. Alter amici cuiusdam interfecti, cui nomen Iasoni Licio fuerat, tam acerbissime mortem tulit, ut per animi dolorem cibum abhorrens inedia decesserit. Huiusmodi igitur maiores avi et avorum proavi hac in familia generosissima fuere fortissimi, sanctissimi piissimique. Quos profecto Canis hic noster de quo agimus omni pietatis modestieque officio maxime imitatus est; nullique pro viribus fuit fortitudini et gloria secundus. Quem cum natura pusillum et ad ferendum immanissimi et prepotentis hostis alicuius impetum haud satis firmum genuisset, tamen (quod sue fuere partes) animo ad rem militarem adeo fuit acri et bellicoso, ut maiores sepe belluas provocatus et iniuriis lacessitus petierit. Qua in re cum semper maluerit imperatoribus laudibus quam militis virtute prestare, idcirco non manus tam conserendi cupidus, sed ingentis glorie imprimis libidine flagrans, quodcumque in optimis imperatoribus laudi dari animadvertisset, in se recepit. A Fabio enim Maximo maturam illam et prudentissimam cunctandi et continendi militis rationem et cautionem insidiarum; a Marcello et Scipionibus vim et impetum audendi et congregandi; a C. Cesare atque ab Alexandro firmitudinem et perseverantiam certandi, ab Hannibale astum et fallendi hostis ingenium et perspicaciam; ac denique, ne in his longius vager, a singulis probatissimis imperatoribus singulas deinceps quibus claruerint virtutes mihi, hac adhibita moderatione, desumpsisse visum est, ut neque in eo laudem poneret qui validissimum aliquem et efferatum hostem manu armisque neque qui perfidia et versutiis fallaces et fedifragos exuperarit. Sed quod acres et feroces fortitudine ac vincendi ratione et consilio antecesserit, id sibi ad officium adscribebat, suasque esse partes arbitrabatur perpeti numquam ut laboris aut incommodi atque periculi metu subisse turpitudinem aliquam videretur. Ac pro viribus operam dabat ut laudem et gloriam clarissimis et dignissimis facinoribus promeruisse aperte iudicaretur; tantaque in ceteris rebus fuit abstinentia et equitate ut nisi pro iustitia et honestate dimicandum uspiam duxerit; ac pro iustitia quidem et libertate tuenda nullum umquam discrimen recusavit; pro nostrisque subinde rebus servandis fures quoque armatos et quosvis advenas ignotos et audaces insultare ac strenue contra infestissimos conclamitare ac dimicare numquam pertimuerit. Et quod plerique militaris discipline imperiti vituperant, experti omnes comprobant, nostri erat Canis institutum, inimicum sibi facere neminem quem viribus et fortune suffragiis superiorem intueretur. Si qui fortassis insolentes et prepotentes ad inimicitiam sese iniuriis efferebant, lenitate et placabilitate mites et mansuetos ita reddebat, ut in eo nihil abiectum assentando, aut subsecundando humile aut servile fuisse accuses. Denique omni in certamine ratione quam viribus, amicitia quam armis, rem conficere semper studuit, hostemque ut prosequeretur, nisi fugientem nullis umquam artibus adduci potuit. Ex quo fiebat ut mature consulendo semper in tuto esset, attemperate irrumpendo sepe maxima cum gloria victor ovans ad me congratulatum rediret. Posteaquam equos omnes, boves, hominesque omnes fugientes, Catonis precepto, magis clamoribus ac vocibus, quam cedendo aut armis fugasset, tanta erat prosequendi arte et peritia ut nusquam hostem abigendo certationem sibi parasse iniquam penituerit. Itaque sic a locis, a temporibus, ab fortuna denique ipsa prestatam laudis et victoriae occasionem negligebat numquam. Ab duro autem certamine prudentia non pusillanimitate aut vecordia aliqua precavebat; semperque (quod meo iudicio sapiens quisque debet) prudentiam quam vires modestiamque quam ullam apud se iactantiam valere ostentabat. Tametsi quis fortitudinem anteponat pietati, fidei, religioni? Quas omnes virtutes esse iustitie partes commemorant. Non ingredior eam disputationem eorum qui dicunt apud quem una sit virtus, eundem omnes alias habere virtutes. Quid an non iustitia sit bene merendo, ut hostes atque nos diligant aut saltem nequidquam oderint. Viri strenui et bellatores, quos fortes nuncupant, in castris

intra armorum tumultus versantur in rapinis, in cede, si recte interpretamur, consenescent militando; qua in re una maxime fortibus istius modi locus est. Iusti in laribus patriis et domesticis cum penatibus et caris civibus quietem tranquillitatemque colunt. Animi audacia et viribus pacem et otium fortasse queritat miles; per equitatem autem ac leges otio et pace cives bene morati fruimur.

Sed missam faciamus hanc de istiusmodi virtutibus disputationem; siquidem non manus tantum, verum et imprimis ipsum pectus fortitudinis sedem atque domicilium obtinet; ac me in ferro quidem quantum in animi magnitudine et firmitate fortitudini gloria collucescit. Ad rem redeamus. Prudens idcirco noster fuit Canis qui ab ineunte etate, spretis armis spretisque istiusmodi (ut quidam fortassis extimant) furoris et immanitatis artibus, sese totum optimis et pacatissimis optimarum rerum studiis et disciplinis contulit. Nam cum me plurimum litteris delectari et a numero eorum, qui hac etate mediocriter docti habentur, non reici atque secludi fortassis audisset, illico, neglectis patriis et domesticis delitiis, ad me animi divitias rebus caducis preferens atque ardua et rarissima appetens concessit. Cuius ego indolem et decorem forme conspicatus nimirum amore erga illum affici cocepi. Quod ipsum Socrati, cum Alcibiadem formosissimum adolescentem esset conspicatus, accidisse referunt; et negasse Socratem, quoad in se foret, passurum ut divine adolescentis pulchritudini condigni sanctissimi mores et virtutes non adessent.

Erat autem Canis noster facie honesta et liberali, liniamentis iis a quibus Zeusis facile omnem pingendi venustatem et gratiam ut a virginibus crotoniatibus sumpsit, excepissent; ore leto et Megastomo patri persimilis. At oculis pietatem atque modestiam matris perquam belle gestiebat. Pectoris quidem amplitudine et ceterorum membrorum dignitate et specie maiorum suorum statuas pulcherrime representabat. Que omnia mirifice ac probe divinitus ad admirabilem ingenii et animi vim, multo ut erat, maximam exprimebat. Nam eo fuit quidem singulari et divino ingenio peditus ut liberales quidem apud me artes ingenuis canibus dignas inextimabili quadam discendi celeritate omnes parilis etatis studiosos paucis diebus exsuperans integre edidicerit. Memoria fuit maxima, ut que semel memorie commendarit, numquam effluerint, semper ex tempore atque impromptu affuerint. Neque solum rerum quam in L. Lucullo fuisse maximam ferunt, sed verborum quam Hortesium amplissimam habuisse aiunt, memoriam habuit. Hinc mirum illud quod ne trimatu quidem exacto latinam grecamque linguam eque atque hetruscam tenebat. Ingenio preterea fuit docili et versatili et ad quamvis rem apto et ita accincto ut brevi adiuncto studio, cuivis sese rei agende aut arti dedisset, omnem in ea pristinam suam industriam et operam exposuisse diceres. Mente fuit constanti et minime levi aut volubili, ut interdum in eo illud Catonis dictum subverer, quo aiebat: odisse se puerum qui precoci esset peditus sapientia. Sed in ea prematuritate nihil habebat morosi aut fastidiose grave. Ac numquam in eo erudiendo nihil molestum laborem aut stomachum esse suscipiendum sensi. Vita quidem et moribus ea fuit, quam omnes et bene vivendi et probitatis se propositum habere exemplar faterentur atque congratularentur. Accedebat eo quod cum esset in omni gestu et sermone modestus, tum et in omni reliqua vita preter ceteros ut pecunie sic voluptatum omnium minime cupidus, maxime contemptor et esse et haberi studiis omnibus elaborabat, veluti qui a me sepe eruditum meminisset, pecunias a vulgo intemperantium et imperitorum tantopere expeti, quod uni cui sint dediti voluptati subministrent; et in quo homine longe a voluptate ad virtutem pendeat animus, non in eo istas opum divitiarumque flagrantem cadere cupiditates. Fuit igitur pecuniarum omnino gravis et sapiens aspernator. Una tantum vixit contentus veste. Pes illi ut estate ita et bruma ad nives nudus. Somnos non delitie gratia oscitans, sed requiescendi necessitate sub divo quovis dabatur loco, modo non turpi atque obsceno (cum opus esset) capiebat, vini et pulmentorum abstinentissimus. Itaque in hoc nulla luxuries, nulli sumptus, nullum es alienum, nulla, uti aiunt, convivorum libido. Si quem oderat, coram accusabat; in absentes minime umquam maledicus. Amicorum secreta nusquam prodidit. Suo contentus, aliena appetivit numquam. In omnes mitis, affabilis; ad amicitias optimorum pronus et propensus; amicitiasque ipsas obsequiis quam pollicitationibus, re quam ostentatione inibat atque adaugebat. Amicitiaque esse per virtutem dignius quam per emolumenta ambitionemve amari cupiebat, tamen dando quam accipiendo in amore progrediebatur. Nulli gravis, nulli durus preterquam quod ab obscenis, impuris ac desidiosis sese alienum et maxime segregatum volebat esse, quos quidem

animi quadam generositate ferre nullo modo poterat, atque imprimis eos omnes audaces qui iniuriam in quempiam inferrent, Herculi similis, summo odio prosequerentur. Amicis meis omnibus obsequens, festivus, officiosus, obtemperans ut omnes facile illum diligerent; et optimam de eo spem susciperent. Crevit igitur una cum fama et rerum notitia annos et hominum de se opinionem superans. Diem nullam otiosam preterit agendo, omnia cognitu dignissima perscrutando; difficillima, ardua et laudatissima tentando, numquam laboribus aut vigiliis parcendo. Denique ut totum hoc genus laudis brevissime complectar, fuit hoc animi robore atque virtute peditus, ut voluptates imprimis omnes respuendas et aspernandas duceret; otio, desidia, ludis, conviviisque ingenuos labores corporis atque animi contentionem ad gloriam preferret, in omnique vite cursu ea minime esse expetenda putaret que essent a laude et dignitate seiuncta; seque natum arbitrabatur non ad somnum et delectationem, sed ad virtutem, dignitatem, ad patrie decus et ornamentum, ad studiosorum commoda, ad bonam gratiam, ad famam nominisque claritatem et posteritatem comparandam. Hec igitur illius fuere studia et vite modus, que quidem quasi capita summamque gestorum suorum succincte et presse duxi esse recolligenda. Namque si preclara eius omnia facinora ordine velim recensere, grandis admodum foret et supra meas facultates longe mihi difficillimus susceptus labor. Siquidem is omni in laude consequenda studio, industria, opera, assiduitate, diligentia cuivis preclarissimorum hominum concessit numquam; quin et cum integros dies ad laudem et gloriam summis laboribus et omnibus viribus contendisset, noctu etiam interdum varios canendi modos auribus a concentu sperarum orbis haustos, ne musicam sprevisse et omnino austerus videretur, ad Lunam exprimebat. Hocque eo studiosius agebat quod me disputantem audierat a cognitione earum rerum que turpitudine vacent, modo maiora et digniora studia non pretermittantur, minime abhorre ingenui proprium esse. Namque quis ingenuum se et libere educatum audeat dicere, cum in equo indecenter sedeat, aut palestra turpiter labatur, aut in armis tractandis rudis atque penitus ignarus fuerit? Sed de his alias.

Ad Canem nostrum redeo, qui quidem quo a digno opere nullum vel minimum hore momentum vacaret, cum una mecum a cuius latere numquam discedebat, apud quem etiam omne tempus perditum arbitrabatur, nisi quod discendo consumeret, ad gymnasium et studiosorum (quod sepe fiebat) conventum proficiscebatur, is letus et quasi ad expectatissimam voluptatem accessit pretendebat. Et quo sibi aliorum vitam (ut aiunt) magistram haberet, et optimos ac laudatissimos, selectis spretisque turpibus imitari commodius posset, quicquid ubique digni ageretur, quid quisque obvis canis saperet doctrinarum Academiamne, Stoicos an Peripateticos, an Epicureos oleret, sagaci industria scrutabatur; ad meque tantisper mores et ingenium eorum quos tractasset referebat. Bonos comiter consalutabat, segnes ac petulantes castigabat dictis. Denique semper etiam inter eundem erat in officio et cultu virtutis. Cum autem ad gymnasia esset deventum, discendi studio intra coronam disputantium equo et prono animo, cunctis eam rem ferentibus, tacitus atque attentissimus illud Pythagore observans, qui taciturnitatem discipulis imperabat, sese medium continebat. Quod si quem insolentem ostentatorem offendisset, illico eius ineptias maximis increpationibus coercebat. Nolebat enim eo in loco bonas illas horas male per temeritatem alicuius deperdi. Quibus omnibus in rebus quam assiduus, diligens perseveransque fuerit. Quid ergo hoc loco infinita eius exempla connumerem? Quo enim studio, quibus vigiliis ad disciplinas incubuerit, testes sunt scole litteratorum in quibus persepius summa cum audentium attentione maximis vocibus declamavit. Quo autem morum splendore, qua facilitate, humanitate, affabilitate ornatus fuerit, testes sunt gratia et benivolentia qua omnes in illum erant, dum vitam ageret, affecti. Testis et meror funeris, lacrimae bonorum ac desiderium quo illum omnium etatum omnisque fortune homines defunctum prosecuti sunt. Quam postremo solida et perfecta et absoluta inter mortales virtute fuerit, quos ego testes alios adducam, preter auctoritatem, famam et nominis claritatem quas magnificis et innumerabilibus suis gestis vivens sibi ipse comparavit? Quod genus belli in quo non ipse sit cum laude versatus? Maritimis contra anates atque anseres piratas et fures aquaticos; campestribus contra locustas ortorum vastatores; murali contra lacertas alveorum et rerum publicarum perturbatores. Quibus omnibus in rebus, dum corona et triumpho dignus putari quam consequi studuit, omnes eos qui aut in otio litterarum aut in publico negotio cum laude et auctoritate fuere versati gloria et



claritate antecessit, ut cum in ceteris singulis virtutes singulari aliquo vitio comite et coadiuncto fuisse comperias, in hoc uno omnes fuisse virtutes accumulatas quovis ut minimo secluso vitio invenias. Non enim cupidus ut Aristoteles, quem hamo aureo apud inferos pro pisce captum finxere. Non lascivus ut Plato, cuius de Stella suo, amatorii versus efferuntur. Non ambitiosus ut Cicero, qui, cum sese laudando pene defessus esset, alios per epistulam oravit ut de laudibus suis librum conscriberent. Non crudelis ut Sulla, qui tot civium romanorum milia mactari iussit. Non legum et libertatis eversor, non reipublice occupator ut Cesar. Non mulierosus ut Cato, ut etiam sua ultima pene etate scribe cuiusdam filiam amore captus uxorem petiit. Non cupidus ut Crassus, qui, omnium ditissimus, falsa in dies testamenta adiret.

Sed quid ego istos omnes prosequar, aut istiusmodi ceteros apud istorias celebres cum Cane nostro comparem? In illis maxima vitia virtuti applicata aut ad mediocrem probitatem nulla rerum gestarum preclara monumenta adiecisse invenies. In Cane autem hoc nostro maximas et excellentes virtutes, prestantissimum ac pene divinum ingenium omni vel minima turpitudine et obscenitate vacuum fuisse quisque palam asseverat. Quid est quod in illo optes, aut non longe eum maximis et illustrissimis virtute viris anteponas? Qui quidem summa cum fortitudine integram iustitiam, incredibili cum animi magnitudine, singularem pietatem et religionem, divina cum ingenii flexibilis et versatilis vi firmitudinem et perseverantiam incohatarum et inceptarum rerum, versuta et callida cum natura et mente simplicitatem, ac penitus innocuam vite rationem, egregia cum gravitate et severitate mirificam humanitatem ac misericordiam, facilitatem, affabilitatem, grandique ac multiplici cum rerum usu et experientia integram, solidam et absolutam sapientiam religionemque coniunctam habuit. Pro meo idcirco iusto dolore possem incusare fortunam que optimum illum et sanctissimum nobis acerbo fato eripuerit. Satis quidem ille vixit, non nego, qui bene cum virtute ad gloriam vixit.

Cuperem tamen ab amicis illum et ab his qui suis exemplis in dies meliores et eruditiores reddebantur, minus desiderari. Etenim quis non condoluerit, cum florida etate preter spem et expectationem omnium ab invidis atque occultis eum inimicis veneno absumptum meminerit? Quis non merore afficiatur, cum cetus studiosorum eius interitu mestos ac tristes intueatur? Quis non collugeat, cum memorie repetat illius morientis amorem erga me? O noster igitur Canis, nostre delitie, decus iuventutis, splendor et ornamentum familie tue, qui et forma et moribus et virtute nobilissimam, vetustissimam, ornatissimamque familiam tuam multo nobilitasti, ac longe celeberrimam effecisti. Qui iocus et festivitas esse nostra consueveras. Quem intuentes iucundum, facetum ac lepidissimum amenitate, alacritate, hilaritateque quadam afficiebantur. Tu cuius presentiam modestie, dignitatis, gratie, humanitatisque refertam studiosi admirabantur; cuius ingenium, doctrinam, virtutesque, spectando et animo repetendo omnes obstupescebant. Suscepto veneno, quasi a complexu amici in longissimam alterius vite peregrinationem discedens, me revisum atque exobsculatum moriens veneno tabidus et confertus accessisti, atque primo conspectu collacrimasti. Vale, igitur, mi Canis, atque esto (quantum in me sit), prout tua expetit virtus, immortalis.

## *Musca*

### Epistola L.B. Alberti Christophoro Landino

Leo Baptista Albertus Landino s.p. dicit.

Incideram in febriculam et languore affectus per meridiem accubabam, amicis aliquot astantibus, cum ad nos littere Guarini allate sunt et cum his Musca Luciani, quam meo nomini latinam effecerat. Litteris igitur et Musca perlectis facti illariores: Utrum, inquam, vestrum est quispiam, qui pro nostro more velit, me dictitante, scribere? Cum illico sumpsissent calamos, paulo premeditatus hanc edidi muscam tanto cum cachinno, ut ex ea hora febris tedium, levi sudore evaporato, solveretur. Postridie Marcus noster petiit eam ad te mitterem, quo et tu rideres. Congratulor et habeo gratias muscis, quarum ope convalui.

### Musca

Philosophum nescio quem celebrem ferunt solitum admirari ineptias hominum, quod res plerasque in medium expositas et cognitu perfaciles negligant, res vero a conspectu abditas natura et in obscurum retrusas omni studio et omni opere perscrutentur, et eam rem sic expostulasse predicant: "Caeline ambitum et siderum motus et huiusmodi reliqua vix ipsi nature satis cognita inepti mortales odiosa nostra curiositate disquirere non cessabimus? Quid vero animans animanti prestet, quidve hi maxime quibus cum vitam degimus ad bene beateque vivendum emolumenti possint afferre, nobis erit penitus nihil cure? Quotus enim quisque est a quo domestica hec si postules (sino maiora), ut quenam ex bove aut iumento in vita hominum commoda suscipiantur, satis id explicate queat pro sua prudentia dicere? An adeo id inter homines vitium est aliunde nisi quod, spretis his rebus que ob oculos vagentur, quasi fastidio quodam acti nostrum ipsi dispicimus commodum, et ea demum sectamur que quidem humani ingenii viribus et studiis nequicquam assequi pro desiderio liceat". Quod si idcirco ita statuisset oportet studiosos et rerum optimarum cognitioni deditos percommode in hiis domesticis et familiaribus rebus dinoscendis versari, quarum exemplis suas in vita rationes meliores reddant, quis erit qui nostram improbet diligentiam, si in minorum animantium et natura et moribus recensendis aliquid per otium et animi causa opere consumpserimus? Ac meo quidem iudicio, erimus apud cupidos litterarum non omnino aspernandi, quandoquidem nos qui legerint ita intelligent esse compertum natura, ut voluerit bonas vivendi artes passim vel a quovis infimo animante medium inter hominum usum exstare.

Tametsi ipsa de qua brevissime dicturi sumus, musca inter alites una familie nobilitate et prisca maiorum gloria plurimum prestet, ut nequeas et ipse non admirari veteres poetas in laudandis apibus, sprete musca, tantum posuisse opere et diligentie. Quarum quidem seu stirpis generositatem, seu mores omnemque denique vitam compares, multo precellere splendoreque multo muscas quam apes esse illustriores comperias. Ex Inaci quidem filia apes ortas non inficior, modo et poete ipsi fateantur muscas ex Centaurorum genere prognatas, ut linteis annalium libris testari fama est. Et profecto de muscarum prole ita duco esse statuendum, ut quarum intuear vitam pro innato sibi more esse multa ex parte non aliunde quam ex optima vetere et probatissima disciplina militari, earum aut a Bellona stirpem aut a bellicosissima aliqua invictissimaque gente deductam opinemur. Nam cum, uti aiunt, in re militari hec prima sunt: exercitum instruere ut volens ac lubens pareat; proximum, falangem per tuta sensim deducere; tertium, apto habere loco militem ad urgendum hostem, ad ferendum adversos omnes casus, quis erit qui omnibus his in rebus muscas prescripta veteris familie muscarum disciplina egregie instructas neget? Principio quidem nulla muscarum est, que non veterani militis officium et expertissimi imperatoris munus nullis aliunde quam ab sua solertia et acri perspicacia atque a temporum locorumque occasione captis imperiis exequatur. Ex quo fit, ut

non rege et castigatore veluti tironum greges apium coercende sint, sed libero quodam militandi ordine modo pabulatum vagantur, modo in manipulos, modo in maiores turmas pretoriasque cohortes hostem illudendo in insidias illiciendo atque miris artibus fallendo conveniunt. Mavorti quidem genti, Getis, quod muscas imitari conata sit, apud claros veteres scriptores egregie laudi adscribitur. Quanta idcirco erit muscarum gloria, que quidem mirifice atque unice genus hoc ipsum militandi norunt? Sole musce ob earum assiduum et inveteratum armorum usum militari gloria celebrande sunt. An fuere unquam seu maiora seu minora ex hibernis mota per omnem hominum memoriam castra, in quibus non ingens muscarum manus inter equestres ordines commilitarit? Nulla uspiam facta preda pecoris qua non participes musce fuerint. Agrorum incendia tectorumque ruinas, quod immanitatem saperent, musce nusquam probavere, ut facile muscas intelligas cum omnem etatem assidua militia contrivisse, tum et ipsis victricibus in armis semper humanitatis fuisse et pietatis memores. Illud etiam ex vetere disciplina apud muscas observatur, ut noctu castris tutissima in edium parte positis congruant caveantque ne cum natura irata advorsum, neve cum tempestatibus, algore, siti, neve cum hoste infesto aliquo sibi sit iniquo Marte decertandum. Qua quidem in re muscarum prudentiam et belli peritiam quis satis aut ut merentur laudarit, aut imitabitur ut par est? Nusquam enim musca castra metabitur, nusquam assidebit loco, ni prius terque quaterque tutone illic sibi consedissee liceat pertentarit, quod ipsum ex primis esse militie laudibus Agesilaus Pirrhus Fabiusque asserebant. Sed quid multa? Qualesque tu eas putas publicis futuris in expeditionibus, quas quidem, privatis quibusque suis in profectionibus, continuo classicum aliquid pro more canere et ad quoscumque bellorum usus singula premeditari animadvertas? Timotheum musicum ferunt solitum phidibus et cantu principum animos e convivio in arma et ab acie in convivium revocare. At musca procul voce canora e regione volitans ipsum in bella ciet Martem, ut arbitrer Lacenas hinc suum traxisse morem ad thibiam coequatis exercitum gradibus ductitandi. Accedit his, que hactenus recensui, habitus atque ornatus, quo quidem maiores nostri heroum statuas et magnorum deorum simulachra adornatas in templis theatrisque ponebant. Aureo enim et discolori ere thoraca et ab humeris pendulis alis pro tua, o Romane, toga utitur musca, tantique apud ingenuum muscarum genus a maioribus usque deducta consuetudo fit, ut ne in provincia quidem novos unquam susceperint habitus, quin et virgines matroneque adulte Amazonum more nudis ere pectoribus vagari non novere. Quod magis mirere, earum vultus si spectes, humanitatemne atque mansuetudinem magis an acrimoniam et iniuriarum quandam militarem intolerantiam pre se ferant musce, non satis discernas. Neque id in musca evenit, quod in ceteris plerisque militaribus, tum maxime in milvo, vituperatur, ut supercilio aspero et naso adunco et preacutis falcibus ferreisque unguibus sese sublimen ostentans perduellio atrocissimus haberi velit, acie vero et belli expeditionibus longe effeminatior sit quam secundo esse Gallos impetu referant historici. Quibus demum predita viribus sit musca cum aliunde tum vel hinc perspicuum est, quod elephantum a musca prostratum se posteritas vidisse litterarum monumentis tradidit. At nos quotiens firmissimum tota exagitatam silva taurum vidimus musca urgente? Que tamen cum et vi et viribus et disciplina maiorem in modum ad omnem armorum usum valeant, hanc sibi primam et precipuam laudem iam tum pridem vindicasse glorientur, ut cum ceteris virtutibus tum presertim innocentia maiorum suorum mirificas laudes exsuperarint. Sunt qui vulturem egregie commendent auspicatissimumque esse alitem asseverent, quod unum hoc ipsum animal penitus innocuum nullos lacessere natureque omnibus parcere operibus assueverit. At musca nullum flagitium in vita, nullum furtum, nullas rapinas exercet; non floribus celitus noctu demissos, iacintos, smaragdos, succinos, uniones et eiusmodi gemmas decerpit; non in abditum, ut apes, sibi immodicam divitiarum vim congerit. In luce musca inter hominum frequentiam, in orbis terrarum, ut ita loquar, teatro vitam degit, nullis gravem, sibi quietam, aliis non invisam, suaque studet esse omnia gesta nusquam vacua interprete et spectatore. In propatulo convivatur, ut a musca veterem illum Lacedemoniorum morem in publico cenandi institutum arbitrer. Paucis minimisque contenta musca est, non fastu, non ambitione, - eque enim principem atque plebeum, eque divitem, eque egenum amplexatur, exosculatur, confovet alis atque applaudet, - non invidia, non ceteris aliis seditionum seminariis et discordiarum irritamentis musca collabefactata contabescit. Verum o dignam muscarum vitam! Una epulantur, una alacres

coactis in unum frontibus, amoris signum, ebibunt, docte quod aiunt convivium esse alumnum amicitie. Sed quid in his commorer? Utrumne qua inter se pietate ac gratia convivant palam et in promptu parum est, quando fessas muscas ab amica submissis humeris toto portari ethere intueamur, quo uno solo pietatis merito effecit vates, ut se Eneas supra sidera notum gloriaretur? Tantaque preterea musce inter se quiete convivunt, tanta et animi tranquillitate, ut nusquam ex omni historia invenias a musca ferro aut veneno aut laqueo aut huiusmodi nefario aliquo scelere esse peremptam muscam, non dolo non fraude male affectam; non hanc usque in diem fuere inter muscas odia, simultates, dissidia. Non ut apes, vatium immerite delitiae, civilia exercent inter se bella; non ira concitam detestabile aliquod uspium facinus muscam admisisse ex omni memoria comperies, cum cetera ferme omnia animantia mortalibus pestem olim atque perniciem attulerint. Ut cetera omittam, locustas legimus agros vastasse inediaque et malam pestem reliquisse; formicas item legimus fuisse urbibus exitio. Mitem, pacatam equabilemque ipsi homines ut ducerent persimilem muscis! Non enim plures hominum manu quam omni reliquo calamitatis genere homines periissent; non Transimeneus, non Canne hominum cruore maduissent; non flumina cadaveribus cohercita constitissent, non ferro flammis et tristi favilla, uti ait poeta, tam multa immersa iacerent; non se Cesar plus quadrigenta milia hominum e vita sustulisse gloriaretur. Sed de his alias.

